Confutatio Ridlej

Langdailus
Catholica
confutatio
1556

De
181

Langdailus

Catholica
confutatio

1556

De
484

Confutatio Ridlei

8+ De 484

Catholica Confutatio

IMPIAE CVIVSDAM DETERminationis D. Nicolai Ridlęi, eo tempore ſedem Epiſcopalem apud Roffam occupantis, poſt diſputationem de Euchariſtia in Academia Cantabrigiēſi, habitæ, in tres libros diuiſa.

De 484

Authore Albano Langdailo Archidiacono Ciceſtrienſi apud Anglos.

Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Pro Loco warfambei ad fres Bernar. per D. D. Stan. Cramer, Canon. Warmen.

Bibliotheca Societatis Jesu Provinciae Paris. No. 1101

LVTETIAE,

Ex officina Michaëlis Vaſcoſani, uia Iacobæa, ad inſigne Fontis.

M. D. LVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTHECA
LYCEI REGII
HOSIANI

VENERABILIS VIRI D. THOMAE Robertsoni insignis Theologi Oxoniensis, carmen ad Lectorem.

QVisquis scire cupis magnæ mysteria Cœnæ,
Ad quã sæpè suos inuitat Christus alumnos:
Quæ sit auita fides, quæ dogmata certa sequaris
Terribili in mensa, Græcus quam sermo σύναξιν
Dicit: nos Christi carnem, uerúmque cruorem
Dicimus, atque illum, quem militis hasta profudit
In latus acta Dei: quem combibit ipsa pïorum
Plebs, sitiens solidam sibi conciliare salutem.
Num sit res eadem hæc, eadem substantia carnis
Quam peperit Virgo, quæ mortem passa cruentam
Emeruit uitam cunctis, quam mox rediuiuam
Tertia lux monstrat, cælum quæ scandit in altum,
Atque ibi sublimis dextræ assidet Omnipotenti.
In carnem num panis eat, uinúmque cruoris
Naturam capiat post consecrantia uerba:
An contrà maneant id idem quod & ante fuerunt,
Quod species inspecta monet, quod cernere sensus
Seputat, in rebus dux cæcus sæpè supernis:
Hæc, inquam, quicunque cupis cognoscere ad unguem,
Hoc Ariadneum Langdaili collige filum,

Quod tibi multiuagi latebras aperit labyrinthi,
Atque uiam sternit, qua declinare licebit
Dædaleas fraudes, atque insidiosa cauilla,
Versutásque strophas, ac technas hæreticorum:
Quæ tibi cuncta dabit Langdaili hic sudor anhelus,
Et uigiles curæ, deprompta penu locuplete
Scripturæ atque patrum, coluit quos prisca uetustas.
Ergo quisquis aues thesaurum quærere tantum,
Hoc opus eximium, memori fac mente recondas.

PRAECELLENTIS VIRI D. IOANNIS Setoni Theologi Cantabrigiensis ad eundem, Sapphicum.

IN sacramento, remanente forma
Panis, est Christi caro comedenda,
Et cruor, uini specie bibendus,
Esca beata.
Christus hoc clarè docet, atque Paulus:
Hoc fides semper ueterum tenebat:
Denique hoc Ecclesia docta, sancto
Pneumate sanxit.
Ne nimis fidas oculis cauendum,
Omnis hic sensus fidei obsequatur:
Decipit multos ratio prophana
Ingeniúmque.

Crede quantumuis neget istud ore,
Quem suum seduxit acumen, erro:
Est tibi calcanda rotæ fidelis
Orbita trita.
Ne quid aut erres, dubitésue, doctum
Ac pium Langdailus opus tibi offert,
Improbas quod sternit opiniones,
Hæreticósque.
Veritas quæ sit, docet, explicátque
Pristinorum obscura loca: ergo uerset
Hunc manus nocturna diurna librum:
Volue, reuolue.

PRIVILEGIVM.

CAVTVM *est auctoritate* Regia, *ne quis alius præter* Vascosanum, *hanc* Catholicam *confutationem impiæ cuiusdam determinationis* D. Nicolai Ridlæi, *Episcopi* Roffensis, *in tres libros diuisam, authore* Albano Langdailo Archidiacono Cicestriensi *apud* Anglos, *ante decennium in hoc* Francię Regno *imprimat, néue alibi impressum uendat, sub pœna in sanctione æstimata, ac librorum amissione.* Lutetiæ Parisiorum, VII. Idus Feb. M. D. LIII.

Ex *mandato* HENRICI. II. Francorum Regis, D. Renato Baillet, *libellorum supplicum in* Regia *magistro, præsente.*

Mahieu.

Impressum Lutetiæ, *Mense* Octobri. M. D. LVI.

ILLVSTRISSIMO AC NOBILISSIMO uiro, D. Antonio Brouno, præclari ordinis Garterij, auratæque militiæ Anglię benignissimo Equiti, Vicecomiti Montis acuti, Albanus Langdailus Archidiaconus Cicestriensis, S.

INgenium humanum quàm sit uarium ac multiplex, quàm ad res quasque excogitandas amplificandásque fœcundum, quàm deniq; uerę pietati sit perniciosum, nouis subinde (quod nunc moris est) legendis componendísque libellis oppidò in immensum, contemptis ueteribus, delectari, contemplatus Salomon, instructum iam filium ita alloquitur: Iis contentus esto, faciendi enim plures libros nullus est finis. Quo equidem sapientiæ diuinæ oraculo admonitus (honorande Domine) quæ mihi (quod aiunt) & musis, isto tumultuoso & ingrato seculo paraueram, ea sic apud me retinere ac seruare studui, ne publica manus (cui nemo unquam satisfecit) aliquãdo tereret. Non hoc quidem consilio, quo talentum, si quod est, abscõderẽ, absit, sed partim diuino (quod dixi) elogio perterritus: qui enim curiosam & tumultuariam lectionem interdixit, is unà & conscriptionem prohibuisse uideatur. Partim etiam, ne studiosorum cohortem plusquam satis est hodie ad omnia noua cognoscenda pronam deditámque, quoquo pacto à ueterum lectione hac opera abstrahere-

Eccles. 12.

3 Præclarũ eſt fateor, atque Eccleſiæ imprimis utile, ueritatis amore, fortiter, ac ſtrenuè aduerſus hoſtes in acie conſiſtere: & complures uideas hodie, qui certãt, & acriter quidem, ſed papyro, ſed calamo tantùm. Nonnulli eos adoriuntur concione, conuerſatione pauci: laborant multi charta, ſed pauci uita: ſermone, inquam, non opere. Eximium ſanè utrumque genus, ut dixi, & gregi dominico apprimè utile. At uerò iſtis temporibus noſtris longè & commodius, & aptius hoc, quàm illud tamen: quo, quia non utimur, magis dubio marte, apud infirmos pugnatur. Quæ res una ſi me ab editione penitus terruerit, haud unquam
4 malè feciſſe mihi uidebor. Multo uerò maximum eſt, quod res ipſa, quam tractamus, non ab uno aut altero, ſed à compluribus, iiſque & doctrina, & pietate excellentibus uiris, iam antè ſic tractata ſit atq; illuſtrata, ut nulla, in Chriſtiana religione magis. Tritum eſt, Iulium Cæſarem ſuos in hoc edidiſſe Commẽtarios, eóq; ueluti ſemina undique adſperſiſſe, quo doctis occaſio pòſt daretur, eoſdem fuſius tractare, ordine quæque deſcribere, ad iuſtam uoluminis magnitudinem pro rei dignitate exponere atque amplificare. Sed ita uir ille ſuarum rerum geſtarum fundamenta poſuit, ita diſſeruit, ita ornauit, ut nemo hactenus inuentus ſit, qui auderet ultimam illis manum addere, ne uidelicet, priores, ab eo editos, detereret, oneríque impar ſuccumberet. Iſtuc quanto iuſtius & nos uereamur? poſt, non dico, editos, de Eucharistia à doctiſſimis commentarios, ſed

iuſta

iusta absolutáque uolumina, tenuem hunc calamum nunc iam denuò ei apponere, seu amplius quicquam addere, non modò superfluum, sed superbum etiam atque arrogãs factum uideri potest. Habes (illustrissime Domine) grauissimas, nostro iudicio, supprimendi causas, quas tamen, quia ubique minimè probas, non repugno, quo minus hoc, quicquid est, laboris nostri in medium prodeat. Quod ipsum tamen ægrius ferremus, nisi doctorum quorundam calculi huc præterea accederent, quorum cõsilio amplius reluctari, duri nimis & prefracti animi esse uideatur. Sed cur non antè potius edita sunt, inquis, quàm è uiuis excesserit ille, quem ista magis petunt? Respõdeo: Cum dogmate mihi res est, quod adhuc manet, non cum homine, qui iam transiit: cui etiamnum, si Deus uelit, bene precarer: & eò nunc adducor, quò ne per somnium quidem (Deus testis est) initio cogitabam. Sed quando facultas suggestus nobis adempta fuit, nihil prius in uotis habebam, quàm ei rei potissimum insudare, quæ maximi uidebatur esse momenti, quæque nostros quàm maximè torquebat, non quòd ulla ratione conuincendos putarem, qui iam aduersæ sententiæ sese penitus dediderant: siquidem de istiusmodi uerè dixit ille: Neque rationibus conuincuntur, quia non intelligũt: neque authoritatibus corrigũtur, quia non recipiũt: neque flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt: sed quò in priuato magis colloquio ad manum haberẽ, quæ aduersus prophanam hanc de Eucharistia no-

D. Bernardus ser. 66. super Cantica canticorum.

uitatem (quã in publicis ſcholis diſputatam, ac malè concluſam, non ſine magno animi dolore audiuimus) opponerem, ſimúlque meam, meorúmque, & ſi Deus uoluerit, aliorum etiam fidem illibatam conſeruarem, confirmarémque: enimuerò turbare rempublicam, nullo fructu, nullius hominis officij eſſe puto, nedum priuati. Cæterùm quando hunc ſcopũ, mihi iam olim, ut dixi, præfixum ac conſtitutum tranſilire neceſſe eſt, age, ab ipſius rei exordio initiũ ſumam, ipſamque diſputationis materiam, axiomata dico (quæ concluſionum nomine indignè proponũtur) unà cum determinatione, ut quæ faciliorem ad cætera intelligenda aditum ſeu uiam ſternant, bona fide recenſebo. Principio, quantis diſſidiis, quantis opinionum hæreſumque uentis ac tempeſtatibus iam diu concutitur & quaſſatur hoc noſtrum Angliæ regnum, alioqui præclariſſimum, nemo eſt noſtratium hominum, imò ne exterarum quidem gentium (ut puto) qui ignoret. Tantæ calamitatis & miſeriæ cauſa, ſi non ſola, aut maxima, certè omnium bonorum uirorum iudicio haud minima fuit effrenis illa ac petulans iuuenum concionatorum dicendi libertas, uel, ut melius dicam, licentia, qua diuina humanis miſcere, uoluere, ac reuoluere libuit omnia. Huic eorum malo inſtituto, cùm animaduerterent eſſe in Academiis, qui non tam concionibus, quàm uitæ genere, priuatim, ac publicè obſiſterent, primùm reuocata quorundam, & (quod nuſquam antea factum audiuimus) etiam Epiſcopis concionã-

di

di facultate interdicta, edictis agunt, ne suggestus aliis detur, quàm qui articulis quibusdam, seu propositionibus à fide alienis, subscribere uoluerint. Deinde, quando ne sic quidem res satis cõmodè ex eorum sententia procedere uidebatur (nam ueræ religionis inclinationes, Eduardi Regis, optimæ indolis pueruli, nomine abusi, regios processus libenter appellitabant) generalem, quam uocant uisitationem, rectius dissipationem, absque mora aggrediuntur.

In altera Academia, quid factum est, cæterísque regni partibus, audiuimus? quid uerò Cantabrigiæ, adhuc sentimus, quò inter alios (quinque enim illò uisitandi gratia destinantur) Nicolaus ille Ridlæus, qui tum Roffensis Episcopi sedem tenebat, aduenit.

Exordiuntur à concione, nam sacrosanctam missam, sancti homines, (altero Gamaliele excepto) iamdudum oderunt cane (ut est in prouerbio) peius, & angue. Longum est enarrare: itaque tribus (quod aiunt) uerbis dicam. Sedent, audiunt, iudicant. Sed quo modo? heu, rerum euentus satis iam satis, imò nimis abundè declarauit. Nã, ut taceã piorũ plerũq; omniũ grauamina (quæ sanè permagna fuerunt) quis æqua, & ipso usu, multis iam annis, magno bonorum omnium consensu comprobata, maiorum instituta peruerti, & maximè, quæ de unius ueri Dei cultu benè sancita sunt, auferri, sine dolore unquam tulit? Quæ autem eorum loco reposuerunt? Sed mitto hæc. Iam enim orbi nota sunt. Vix dum finita Collegiorum uisitatione (quæ superstitionis tollendæ

causa, atque ad errores, si Diis placet, euellendos instituta est) en affixas scholarum ualuis conclusiones:
Conclusio 1. quarum altera affirmat, quòd transsubstantiatio nequeat, uel ex apertis scripturæ uerbis, uel ueterum ante mille annos Orthodoxorum consensu confir-
2 mari: Altera, quòd in cœna Domini (quo uerbo libẽter utuntur illi) nulla sit alia oblatio, quàm gratiarum actio, & mortis dominicæ commemoratio. Quibus semel propositis, quò iam diuergeret tãdem præclara illa Academia, hactenus bonarum artium uirorúmque illustrium, non tam sedula, quàm pia nutrix, nemo prudens non intellexit. Adest continuò nuncius, quem Bedellum appellamus, qui regio nomine Præsides ita alloquatur: ut si uel ipsi, uel alij quicunque contrà quicquã dicere uoluerint, nunc iã proferant, posthac alioqui (quod nobis significatum est) perpetuò sileant. Qui quidẽ inexpectatus nũcius, inexpectatũ etiã disputationis diẽ (nisi malè memini) tertiũ indixit. Quis enim expectaret aliquando, ut
In festo corporis Christi disputatio. quo die Christiani plerique omnes, sacrum corporis Christi festum celebrant, eo ipsò, cõtra corpus Christi disputationem instituant? Quin ita citius res, è memoriis hominum excussa, obliuione iaceret, & inopinãtes temporis angustia facilius opprimerent: cuius rei tamen, qui respondentis uices obibat, longè antea (uti quidam certò deprehendebant) certiorem fecerunt. Verùm utcunque fuerat, reperti sunt dei beneficio, qui publicam Christiani orbis fidem publicè tuerentur, & blasphemias cõtrà eructatas, multis

tis magnísque rationibus audacter refellerent,ſolidéque confutarent. Aderant præter uiſitatores,quos dicimus,regios,cõplures egregij, ac ualdè nobiles uiri, qui , quò commodius ſpectarent, audirent, gradus quoſdam aſcendunt. Vbi & Roffenſis iſte (bis per omnia à beato Ioanne, uero illo Roffenſi Epiſcopo diſcrepans)huius mali caput atque origo,inter cæteros adſtat: iámque reſpondentis munus obeuntem, opponentium rationibus ſuccumbere animaduertens,quaſi ſuccenturiatus adeſt. Huius enim opera, quoties cauſa periclitabatur haud unquam defuit, unde & totius diſputationis pondus, quaſi alter Hercules, defeſſo ſcilicet Atlante,ſuis ſuſtinere uiſus eſt:ſuis,inquam:nam qui uel indifferentes(ut ita loquar) & neutri aduenerant, hi magna inæqualitate omnia peragi querebantur. Iſthic catholicæ orationis filum uix dum inceptum, uel abruptum penitus, uel interruptum ad tempus,uel aliò tranſlatum ſæpè uideas. Præterea nunc minis, nunc blandiciis, nonnunquam etiam,inter diſputandum,amaris ironiis nonnullos adoritur. Quid multis? primi diei diſputatione ſic peracta,publicè ante dimiſſam ſcholã,uiſitatorum iuſſu,tale edictum ſubitò proponitur, ut ſi quis infra unum & alterum diem uelit contrariam partem (catholicam dicimus) defendere ac tueri, liceret:quod ita geſtum eſt, quaſi, ſi nemo aſſurgeret, ipſi perpetuò omnibus ſilentium ſua authoritate imponerent. Iam hic alius ſubinde alium aſpectat, imò qui huic muneri ſe ultro offerat,expectat potius. Si-

lent omnes,& trementes quidam, ne tam gloriosam apud suos uictoriam reportarent,quum reipsa,inuicta argumentorum ui,quæ cōtrà eo die uibrata sunt, ipsi iam uulnerati planè ceciderant: ne, inquam,uicisse se (quod ubique solent) & cunctis ora clausisse gloriarentur, timebant omnes boni. Tota itaque concione alto silentio persistente, ecce tibi uirum, qualem uis dicam?certè, uel illorum omnium iudicio,& grauitate maturum,& pietate doctum, qui iā cognitione linguarum peritus,& sacrę theologiæ,lectionem publicam, professor, magna cum laude diu prælegerat. Is se murum æreum (ut prophetæ uerbis dicam) pro uero Israële opponere non dubitauit,& respondentis sedem suo tempore capessens, declarationem suam(quam positionem Cantabrigienses appellamus) sic è psalmo orsus est: Credidi(ait propheta)propter quod locutus sum:& nos (inquit ille) credimus propter quod & loquimur,& cætera: quo quidem orationis suæ diuino exordio, illorum animos sic perculsit, sic piorum mentes refecit, ut hos erectos,illos iacentes iam uideas.De eius uiri responsione quid dicam? eorum sophismata, seu confictas contra ueritatem rationes ita dissoluit,ita effregit, ut quiuis, nisi qui sibi lumina ipse clauserat, uideret. Videbant certè, sentiebant, intelligebant magnum uulnus causæ inflictū: ac proinde alium, nempe tertium adhuc diem disputationi constituunt, in qua instructior quidam,primi diei sententiā rursus tueatur: id quod astutè ab illis factum est. Vltimū enim

D. Glymium indicat nunc Bangariēsem Episcopum.

uer-

uerbum (quod nos in prouerbio dicimus, & uerum est) plerumque uulgo magis inhæret. Neque minus profectò pulchrè hîc à nostris confligitur, sed apud illos frustra, ut qui iam puri puti (quod dicitur) sacramentarij sint, tametsi uerbis sedulò, ut olim Arriani, ubique id agant, ut uideãtur catholici. Illi enim multa eodem cum catholicis sermone, sed non eodem sensu adseruerunt: & isti similiter, iisdem plerunque, quibus & nos, uocibus utuntur, quas deinde sacrilega uerborum interpretatione contorquentes, à piis Ecclesiæ sensibus ad suum dogma, ueluti obtorto collo, continuò abripiunt. Simiarum, seu chamæleontis instar, gestus & colores uicissim uariantium simulant, ac subinde dissimulant, significatione, repræsentatione, meditatione, appellatione, proprietate, natura, potestate, gratia, memoria, uirtute deniq; corporis (ipsi interim quod dolenter referimus, & Christi uirtute, & corpore penitus expertes) sursum deorsum uersantes, illudentes, confundentésque omnia. Hæc sunt latibula illa, quibus feræ delitescũt, conditionem præterea, & sacramẽtalem nescio quam (imò ne ipsi quidem sciunt) mutationem, & creaturarum dignitatem, quoties libet mentiẽtes, cum suo spiritu, & fide, seu fidei participatione, & spirituali præsentia, ac modo, quibus modis omnibus ueritatem è sacro mysterio fraudulenter auferre, & penitus excludere moliuntur. Neque enim Lutheranorum, (uti axiomate primo præ se tulerunt) sed Heluetiorũ hæresim pertinaciter palàm mundo profitebantur: id

Eludendi argumẽta formulæ, quibus in disputatione aduersarij usi sunt.

quod ne doctissimi quidem eorũ unquam ausi sunt, imò quàm hac de re incerti fuerint, ipse eorum calamus testis irrefragabilis esse potest. Sic enĩ fratri cuidam Oecolampadius scripsit, Pax tecũ: & statim subiungit, Quantum ex ueteribus coniectare licet doctoribus, & ex sexto capite Ioannis, uerba illa, Hoc est corpus meum, figuratæ locutionis sunt. Rursus in alia epistola: Ora mi frater Dominũ, ut aperiat oculos tuos (de Eucharistia illi sermo est) uel si erro, meos, ne intantum cum tãtorum periculo hallucinemur. hæc ille. Hic iam paulisper ausculta quæso. Duo sunt (ut ipsimet fatentur) quibus præcipuè innituntur. Alterum est ueterum ante mille annos doctorum authoritas: alterum, sextum caput Ioannis. De utroque præcipuus ille antesignanus (à quo, quicquid afferunt, hauserunt) coniecturam hic facit: Quantũ, inquit, coniectare licet, &c. rursus, si erro. & iterum, ne hallucinemur. Hæccine, quam ubique iactitant, doctrinę, aut fidei certitudo? Hæccine, quæ certas aut pacatas reddat conscientias fides est? quippe de mysteriis fidei agitur. Haud dissimiliter hęret & huius alũnus, & nostrorũ præceptor Huldericus Zuinglius: is enim Matthæo Albæro Rotlingensium Ecclesiastæ ita scribit, Quid de reipsa (Eucharistiã significat, sentiendum sit, tu decerne, posteaquam nostra legeris. Nos enim nostra proferimus, ut conferamus, non ut censeamus: res enim est ardua, ut nisi Dominus dederit intellectum, frustra dicturi simus, quicquid tandem adduxerimus. Et paulò pòst, in eadem epistola:

Oecolampadij & Zuinglij epistolarũ lib 3.

Aduersæ doctrinæ incertitudo.

Præcipua aduersariorum firmamenta ipsis authoribus infirma & dubia.

Epistol. lib. 3.

Tametsi

Tametsi (inquit) ea sententia, quam dicturi sumus, uehementer nobis arrideat, nihil tamen definimus, sed nostra in medium proferimus, ut, si Domino placuerit, alij quoque sic sentire doceantur, sed à spiritu, qui nos omnia docet. is enim si uetuerit sic intelligi, frustra uerba fundemus, & cæt. Ecce, qui aliàs istius rei iudicium sibi arrogantissimè uendicat, hic eius censorem esse recusat: qui aliàs rem nimis claram, apertam, & facilem clamat, hic eandem obscuram, arduam, atque difficilem esse confirmat: utpote, de qua, num uera sint quæ scribit, ipse dubitat: uehemẽter enim arridet illi hæc sua sententia, quam tamen definire non audet. confert enim, non censet. Quid hoc? uacillant columnæ? ruat ergo ædificium necesse est. Et quis prudens, dignos posthac existimet, quibus animæ salus cõmittatur, qui tam parum sibi cõstant, quique de mysteriis fidei, plenam dubitationis doctrinam mundo, ui quadam obtrudere uolũt? quæ sanè intermiscere contigit, spiritu bono (uti spero) calamum ducente, qui huc penè insciẽtes nos deduxit. Ex quibus eorum paucis obiter adductis locis (plures enim addidisse, haud magni negotij fuit) intelligant, eos uacare culpa (minimum dico) haud posse, qui ueritati, his authoribus & magistris tam obstinatè reluctantur. Non ignoro, quid hic respondeant, sed cohibendus est mihi calamus, & suo instituto dirigẽdus. Vbi igitur tribus diebus acriter hinc inde pugnatum est, tandem, inito, sub fine, cum cæteris (quorum prius memineram) illustribus uiris cõ-

ſilio, ipſe, quem Epiſcopum diximus, quò ſuos confirmaret prædictarum concluſionum, ueluti colophonem addidit, determinationem, quæ ita à piis & doctis uiris pugillaribus excepta eſt, ut ab authore (ne quid eum non dixiſſe affirment) dictata eſt, non alio profectò nomine, quàm ut & ſcripturarum, & patrum loca, quæ in illa determinatione poſita ſunt, ſtudiosè perſcrutarentur. Ea autem cuiuſmodi ſit, uti intelligas, integram primò ob oculos ponam, quæ deinde minutatim, & per partes nobis excutienda uenit: id quod dialogi nomine, non tam recentiores quàm ueteres ſequutus, (utroſque enim hoc genere, contra pietatis aduerſarios, delectatos uideas) commodius fieri poſſe exiſtimaui. Iſtiuſmodi enim ſermonis uiciſſitudine, & hora piè fallitur, & animus ſubinde recreatur, & labor iucũdius tranſigitur. Iam hanc, qualemcunque operam noſtram (modo hic noſtrum aliquid ſit) ſub tuo nominis auſpicio (illuſtriſſime uir, idémque patrone obſeruandiſs.) meritò exire debet, ut qui iure optimo, me meáque tibi uendices. Enimuero haud uulgaria ſunt, quæ amplitudo tua in nos contulit: ex quo enim ab Academia, quæ nos tum ferè deſeruerat, euocatus, inque familiam tuam longè humaniſſimam, tua benignitate ſum adſcriptus (quæ res quantam moleſtiam tibi peperit, dominatio tua melius nouit) nullum (uno uerbo multa complector) ueri amoris erga nos indicium generoſus hic animus unquam intermiſit, quod ne optantibus quidem nobis, aut planè inſcientibus,

ſtatim

ſtatim ſua ſponte non perfecerit. Quin eò res ipſa nos deducit,cui enim magis dicare conueniat opuſculum aliquod de Eucharistia, quàm illi, qui pro Eucharistia, ſe, ſuáque omnia inuidis cupidorum morſibus expoſuit? Sed parcius iſta, ne & tuis auribus, & meo pudori haud pepercisse uidear:neque enim tibi,certò ſcio,audire,neque mihi,niſi quantum huic ſermoni neceſſariò ſubſeruiat, narrare uolupe eſt. Id ſi maximè uoluerim, fruſtra, uel animi dotibus, quibus adeò polles, uel beneficiis, quibus nos donaſti,enarrandis,elaborarem. Quapropter pictorem illum imitabor, qui,quod penicillo exprimere non potuit, uelo obtexit, & quam petij à Domino unam,hanc iterum,iterúmque requiram, nempe eã gratiam legentibus impartiri uelit, eo animo accipere, quæ à nobis ſcripta ſunt,quò ſalubria eſſe poſſint:quod unicum præmium,cum Dei optimi maximi gloria,non ſolùm à dominatione tua, uerùm etiam reliquis omnibus obnixius peto.

Chriſtus Ieſus, D. tuã nobis,& reipublicæ noſtræ diu ſeruet incolumem.

AD LECTOREM.

ETſi, Lector, huius mei conſilij, & penè totius facti rationem in epiſtola nuncupatoria iam reddiderim, tamen, ne quid te lateat, aut remoretur, quod tua ſcire interfuerit, id ſilentio præterire, operępretium fore non putaui, ut quia è ſanctorum patrum teſtimoniis, ipſa duntaxat uerba, ſeu nomenclaturas, unde quammaximè eluceret huius ter uenerandi ſacramenti eliquata ueritas, excerpere ſimúlque ponere libuit, propterea coactos nos fuiſſe alicubi, uitandæ prolixitatis cauſa, ſenſum, quã uerba magis efferre, quod & rarius fit, & ne quis fraudẽ factã clamitet, tali aſteriſco *, te ſeorſũ, quoties accidit, præmonitũ uoluimus. Et ſi quid præterea in allegatis, aggregatíſque Catholicorum, quæ eorũ uerbis conſtant, teſtimoniis, explicandi, uel cõnectendi gratia additum uideatur, id interpoſita parẽtheſi, incluſum plerunq; reperias. Certè in his nihil ab Euchariſtia alienũ nos admiſcuiſſe uſquã inuenies, quẽ ſcopũ (ne aliò quã ad ſacramẽti naturã, illorũ omnẽ ſermonẽ, referri querãtur) haud indiligẽter obſeruauimus. Porro tui candoris erit, hunc conatũ noſtrũ læta frõte ſuſcipere, ubi ſi fortè quippiã exciderit, aut ſecus dictum uideatur, quàm fidei Catholicæ regula habeat, ego, qui Eccleſiæ filius & dici, & per Dei gratiam eſſe uolo, nõ idẽ deprehenſum peruerſo tuebor patrocinio, ſed pios ſequutus, errorem illũ ſtatim, imò nunc iam potius repudio, méque ſanctæ Eccleſiæ iudicio ubique, uti decet, humiliter ſubmitto. Vale.

AXIOMATA BINA AB ADVERSAriis, ut iam in priori epiſtola fuſius dictum eſt, oblata, & ſolenni corporis Chriſti feſto, anno D. 1549. in celebri doctorum, nobiliúmque uirorum conuentu, diſputata, ita habent.

IN Euchariſtia tranſſubſtantiatio non poteſt ex apertis ſcripturæ uerbis, neque ueterum ante mille annos Orthodoxorum conſenſu confirmari.

IN Cœna Domini nulla eſt alia Chriſti oblatio, quàm mortis illius commemoratio, & gratiarum actio.

IMPIA, PRAEDICTARVM PROPOſitionum D. Nicolai Ridlęi, Roffenſis Epiſcopi ſedem occupantis, poſt diſputationem, determinatio.

SOLET in ſcholis ueſtris, poſt diſputationem, determinatio fieri: quia igitur & ſic uiſum eſt iſtis egregiis uiris qui aſſident, quid ego exiſtimo, dicã: quid ſentiam, & quid aliis ſentiendum ſit, hac ſcholaſtica determinatione uobis aperiam, uos poſtea domi perpendite, & cæt.

Firmamẽta mea, ſeu fontes potius firmamentorum, quibus cauſa innititur, quinque ſunt.

1 Primum, est authoritas, maiestas, & ueritas sacræ scripturæ.

2 Secundum, certissima testimonia Orthodoxorum patrum, quæ, meo iudicio, hanc causam satis aperiunt.

3 Tertium, est ratio sacramenti.

4 Quartum, horror Eutichianæ Hæreseos, qui oriri potest ex transsubstantiatione.

5 Quintum, certa persuasio articuli fidei, Ascendit ad cælos. & cæt.

Firmamentum primum.

Hæc transsubstantiatio repugnat uerbis scripturę, & consensui Orthodoxorum patrum. Scriptura hæc est: Non bibam posthac de hoc genimine uitis, & cęt. Iam fructus uitis uinum est. Constat, hanc sententiã Christum locutum post poculum Eucharisticum, ex Matthæo, & Marco, & ex Luca etiam, si bene intelligatur.

Non sunt multa scripturæ testimonia, quæ hoc confirmant, neq; refert: satis est enim, si unum apertum, & uerum testimonium producatur: neque est hæc res mensuranda multitudine scripturarum, sed authoritate, sed ueritate, & perinde est ueritatis maiestas in una, atque in mille.

Deinde, Christus accepit panem, fregit panem, benedixit panem, & illi gratias egerunt, uel benedixerunt. Apud Lucam panis uocatur in Actis. Et Paulus panem uocat post sanctificationem. Vterque testa-

tur

tur fractionem, quæ eſt materiale panis. Hoc autem nullo modo competit corpori Chriſti: Os, inquit, non comminuetis ex eo.

Chriſtus dicit, Hoc facite in meam commemorationem. Paulus item, Hoc facite in meam commemorationem Et iterum, Hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem, & cæt.

Et ſeruator apud Ioannem, cap. 6. contra Capharnaïtas: Operamini non cibum, qui perit. Et illis interrogantibus, Quid faciemus, ut operemur opera Dei? reſpondit, Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Videtis ut hortatur ad fidem. Fides enim eſt illud opus Dei. Rurſus, Hic panis eſt, qui deſcendit de cælo. caro autem Chriſti non deſcendit de cælo. Præterea, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Caro mea, inquit, uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Illi hoc audientes offendebantur, & dum ſic offenduntur, ſubdit: Quid ſi uideritis filium hominis aſcendẽtem, ubi erat prius? uoluit auellere eos à carnali mãducatione. Hoc corpus inquit, aſcendet in cælum, utique integrum, uti Auguſtinus ait. Spiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor, ſpiritus ſunt & uita: & ſpiritualiter intelligenda ſunt. Iſta ſunt, quæ me mouent in hanc ſententiam deſcendere.

Firmamentum ſecundum.

Iam, ſecundum firmamentum meum cõtra hanc

transſubſtantiationem ſunt Orthodoxi patres, ante mille annos. Et ſanè tantum abeſt, ut transſubſtantiatio poſſit confirmari per illos, ut ipſi planè (uti ego accipio) contrarium ſentiant & doceant.

Dionyſius in Eccl. Hierarh. Dionyſius ſæpe uocat panem: neque eſt opus loca indicare, quę cuiquam obuia ſunt.

Ignatius. Ignatius ad Philodelphenſes: Rogo uos, fratres, ut inſtetis uni fidei, uni prędicationi, una gratiarũ actione utentes. Vna eſt enim caro Domini Ieſu, & unus eius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt. Vnus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Eccleſiæ.

Irenæus li. 4. cap. 34. Irenæus (non uereor illum introducere, tametſi Dominus doctor heſterna die aliter interpretabatur, locus enim non patitur ſic intelligi) ita habet: Quemadmodum, qui eſt à terra panis, percipiens uocationem dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena, & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia, & cætera.

Tertullianus. Tertullianus apertus eſt: uocat enim figuram corporis, & cætera.

Chryſoſtomus. Chryſoſtomus ad Cæſarium monachum, quanquam à quibuſdam non recipitur, legam tamen, ut infigam eum mentibus, & cæt. Antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illud ſanctificante gratia, mediante ſacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem

habitus

habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit,& nō duo corpora,sed unum filij corpus prædicatur,& cęt.

Panis ex multorum granorum conglutinatione confluit. Est ne ille panis naturalis & triticeus, qui ex multis granis fit? est sanè. *Cyprianus lib. 1. epist. 6.*

Theodoreti liber Græcè nuper Romę excusus est: qui si non fuisset illius, non ibi excuderetur, præsertim cum agat cōtra transsubstantiationem. Ille enim apertè testatur panem manere. *Theodoretus.*

Gelasius item apertus est. *Gelasius.*

Isychius etiam fatetur esse panem: Propterea inquit, carnes cum panibus comedi præcepit, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis uiui, qui de cælo descendit. *Isychius.*

Bertrami sententia satis nota est.& hæc de secundo firmamento. *Bertramus.*

Firmamentum tertium.

Tertium firmamentum est ratio sacramenti, quæ consistit in tribus, uidelicet, unitate, nutritione, & conuersione.

1 De unitate Cyprianus loquitur, 6. epistola lib. 1. & 3. epist. libri 2. Vt ex multis granis fit panis, ita nos unum mysticum corpus sumus in Christo. ergo panis debet manere, alioqui tollitur ratio sacramenti.

2 Et qui tollunt nutritionem, quę fit per panem, iidē auferunt rationem sacramenti. Nam ut corpus Chri-

ſti paſcit animam, ita panis, corpus humanum. Qui igitur tollunt grana, & granorum compoſitionem, qui tollunt nutritionem & ſubſtantiam panis (meo iudicio) ſunt Sacramentarij. Nam tollunt ſimilitudines, & cæt. Qui enim ponunt tranſſubſtantiationem, ſunt Sacramentarij: & ne ægrè ferant, ſi dicantur, & Sacramentarij & Capharnaïtæ.

3 De conuerſione Rabanus, & Chryſoſtomus teſtes ſunt.

Quartum firmamentum.

Qui dicunt carnaliter adeſſe Chriſtum in Euchariſtia, tollunt ueritatem humanæ naturæ. Eutices poſuit naturam diuinam, & ſuſtulit humanam (ſic Tranſſubſtantiarij aſcribunt, id quod eſt diuinæ naturæ, humanæ) cui quamproximè accedunt Papiſtæ.

Quintum firmamentum.

Quintum firmamentum eſt certa perſuaſio huius articuli fidei, nempe, Aſcendit ad cælos, ſedit ad dexteram patris.

Auguſt. Donec ſeculum finiatur, ſurſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt ueritas Domini: corpus enim Domini, in quo reſurrexit, uno loco eſſe oportet, ueritas ubique diffuſa eſt.

Auguſt. Accipiant & hoc boni, ſed non ſint ſoliciti. Loquebatur enim de præſentia corporis. Nam ſecundum maieſtatem, ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffa-

ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi: secũdum carnem uerò, quam uerbum assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum. quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus, cum discipulis suis, & eis deducentibus, uidendo, non sequendo, ascendit in cælum, & nõ est hic. Ibi sedet ad dexteram Dei patris, & hic est: non enim recessit præsentia maiestatis. hæc ille.

Videte Augustinum, & intelligite, quod dicit: Ascẽdit in cælum, & non est hic, inquit. Nolite ergo credere iis qui dicunt, eum adhuc esse in terris.

Ad hæc: Noli dubitare (inquit idẽ Augustinus) ibi nũc esse hominẽ Christum Iesum, unde uenturus est, memoritérque recole, & fideliter tene Christianam cõfessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris: nec aliunde quàm inde (non ex altaribus) uenturus est ad uiuos mortuósque iudicandos: & sic uenturus est illa angelica uoce testante, quemadmodũ ire uisus est in cęlũ, id est in eadẽ carnis forma atque substãtia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundũ hanc formã non est putandus ubiq; diffusus. *August. epist. 57.*

Et in eadem epiſtola. Spacia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, nec erunt, & cætera.

Vigilius contra Eutich. li. 4.

Deinde ſi uerbi & carnis una natura eſt, quomodo cùm uerbum ubique ſit, ubique non inueniatur & caro? Nanque quandiu in terra fuit, non erat utiq; in cælo: & nunc quia in cœlo eſt, non eſt utique in terra. Et in tantum non eſt, ut ſecundum ipſam Chriſtum ſpectemus uenturum de cælo, quem ſecũdum uerbum nobiſcum eſſe credimus in terra, & cæt.

Lib. 5.

Idem Vigilius. Quæ cùm ita ſint, ſeries nobis diuinarum percurrenda eſt literarum, & plurima teſtimonia congerenda, quibus demonſtretur, quàm ſit impium & ſacrilegum, ea quæ ſunt propria carnis Chriſti, ad naturæ uerbi proprietatem referre, & quæ ſunt propria uerbi, proprietati naturę carnis aſcribere: id quod Tranſſubſtantiarij faciunt, dum corpus ponunt non eſſe in loco, & quod eſt diuinitatis proprium, humanitati aſcribũt. Videtis quòd ille ait eſſe impium & ſacrilegum, tribuere quæ ſunt propria carnis, diuinæ naturæ: quod faciunt hi, qui uolunt corpus Chriſti non eſſe in loco.

De poſteriori ſententia, quæ de ſacrificio eſt, quoniam non ita multum in diſputatione tractabatur, paucis dicam quid ſentio, maximè, quia dependet ex priori. Nam ſi de illa ſemel conueniremus, tota controuerſia facilè in iſta penitus euaneſceret. Duo ſunt, quæ me mouent credere hanc concluſionẽ uerã eſſe.

1 Quædam loca ſcripturæ.

Quædam

2 Quædam ueterum testimonia.

Locus est in epist. ad Hebræos, cap. 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum nō manufactum, id est nō huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Nūc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et iterum, Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. rursus, Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, & cæt.

Hæc mihi persuadent, ut credam nullam esse aliam (tametsi non ignorem multa esse sacrificia) Christi oblationem, quàm quæ tantùm in cruce facta est.

Testimonia ueterum, quæ idem confirmant.

Augustinus ad Bonifacium, epistola 23. Idem in libro octogintatrium quæstionum, quæstione 61. rursus lib. 20. contra Faustum Manichęum, cap. 21. & eodem libro contra eundem, capite uicesimo octauo sic scribit, Vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.

Fulgentius de fide, uocat oblationem commemorationem. Atque hæc mihi uidētur sufficere ad scholasticam determinationem.

Determinationis finis.

CATHOLICAE CONFVTATIONIS IMPIAE CVIVSdam Determinationis D. Nicolai Ridlæi, eo tempore ſedem Epiſcopalem apud Roffam occupantis, poſt diſputationem de Euchariſtia in Academia Cantabrigienſi, habitæ, Liber primus.

Authore Albano Langdailo Archidiacono Ciceſtrienſi apud Anglos.

INTERLOCVTORES.

ORTHODOXVS. NEOPHYTVS.

Audeo tandē illos homines abiiſſe, ut liceat frui hac deambulatione, & ſimul tibi operam dare: ſed ubi totum hoc triduum latuiſti Neophyte? equidem uerebar nonnihil, ne in tanta opinionum uarietate, quum adhuc ſis tener ſurculus, ueræ oleę nuper inſertus, neque ſatis dum cæleſti philoſophia, & myſteriis fidei inſtructus, ſermonis probabilitate (ut

fit) à uero descederes. Cedo igitur, cur tam diu insolens à nobis abfueris? NEOPH. De celebri doctorum quorundam disputatione audistin? ORTHO. Quid ni? sed quid tu ibi? NEOPH. Sedulus auditor interfui. ORTHO. Ergo doctior nobis redis, & fide adeò instructus, ut hic iam non sit opus opera mea. Decreueram enim hodie Margaritam hanc integram, tuæ fidei committere, cuius nunc demum regeneratio, te meritò capacem fecit, quanquam scio te haud omninò ignarum huius fuisse. NEOPH. Nihil est omnium quod malim. Nam ante istam (quam dixi) disputationem, uisus sum mihi abundè fortis, & in fide satis constans: discedens autem, in multas cogitationes statim incido, quæ diuersè trahunt hunc animum, atque, ut ingenuè profitear, dubium magis, ac fluctuantem relinquunt. ORTH. Vereor ne νεόφυτος, nobis fias νεοφθόντος. NEOPH. Isthuc haud libenter audio: debes, & uis scio, hanc meam infirmitatē paulisper, donec in Christo grandescam, tolerare. ORTH. Iocabar equidem Neophyte, & propterea ne despondeas animū. Nam quia dilectus eras Deo, necesse est, ut tentatio probaret te. Cæterùm, uerè dixit Tertullianus, hunc esse fructum istiusmodi disputationum omnium, ut firmos fatigent, infirmos capiāt, medios cum scrupulo dimittant. Et sanè hāc ob causam præstitisset fortasse, tibi nuper insito, cæterisque tui similibus, omninò abfuisse: quod & mihi contigisse, uehementer gaudeo. NEO. Malè habet. ORTH. Cur ita? NEOP. Sperabam enim fore, ut nodos omnes, qui meum

Nuper insitus.

Nuper corruptus.

De præscript. hæreticorum.

meum animum torquent,penitus diſſolueres.illi nũc exciderunt mihi,ita tamen,ut ſpecies eorum,& quaſi imagines,animum (neſcio quo modo) uehementer pulſent,mentíſque aciem reuerberent,& neque rectè exprimere, neque penitus abiicere queo. ORTHO. Bono animo es, hanc rem effectam dabo. NEOPH. Quî potes? quum (ſicut modò dixiſti) minimè adfueris. ORTH. Ex iis,quos nuper mecum uidiſti, unus integram diſputationem accuratè deſcriptam mihi donauit. NEOPH. At determinationem malueram. ORTHO. Vna cum determinatione, quam iam legi & perpendi. Atque illud in priuatis ad me literis addidit,nihil in tota iſta determinatione (quam uocant ſcholaſticam) poſitum, quod non ille eiſdem uerbis dixerit: aut ſi fortè (inquit) à uerbis diſcedimus (quod aut non omnino,aut certè rariſſimè fit) à ſenſu profectò, quem poſuit,nullo modo aberramus. NEOPH. Sanè uerò factum amicè eſt,ac beneuolè. ORTH. Ex cuius literis illud etiã intelligo, qualẽ exitum diſputatio habuit: quẽ audire,nõ poteſt nõ eſſe permoleſtũ Chriſtiano pectori,quum ſimul audiat diſſenſionem inter eos factam, qui pro ſua uocatione, contentiones ſedarent. Nam per Deum immortalem, quæ erit ſpes unitatis & concordiæ,ſi Epiſcopi, ſi Doctores,& Preſbyteri (quos poſuit in Eccleſia Deus ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti) diſcordes fuerint? NEOPH. Eſt profectò ut dicis. ORTHO. Et ſanè poterat utcũque tolerari,aut certè non uſque adeò ægrè ferri,ſi de

leuibus contentio esset. Nunc uerò, quum de ipsis summis fidei nostrę mysteriis inuicem digladientur, ídque palam, non sine summo animarum discrimine, quis exitus breui sequetur, sine ingenti animi dolore nemo cogitare potest. NEOPH. Quid? tollís ne scholasticam hanc palęstram, quam omnes ubique terrarum usque adeò probant? Ad quid ergo Academiæ? An non disquirendarum rerum causa? An non scrutandæ scripturæ? ORTHO. Fateor: scrutari licet (hoc enim Christus iubet) at non ut semper quæramus, sed ut inquirere tandem desinamus. Sistendum utique Christiano in fide: amplectenda ea est, nõ curiosius quærenda. Nã si quærimus (inquit ille) id fides non est: fides enim animũ cogitationémque facit cõquiescere. Vbi autem fides est, ibi quæstionum nulla necessitas. Et ut aqua extinguit ignem, sic quæstio tollit fidẽ. Et uerũ est quod August. ait: Mysteria fidei salubriter credi possunt, inuestigari utiliter non possunt. quis igitur fructus ex istis disputationibus oriri potest, præsertim iis qui nondum captiuarunt rationem in obsequium fidei? Et tamen, Deo Opt. Max. gratia, qui sic disposuit, ut peregrinam doctrinã audientes, & adulterinas expositiones, adeò non uacillarunt, ut in fide firmarentur magis: Id quod, sicut à fide dignis accepi, plurimi deprehẽderunt: hinc bonitatem, hinc maliciam, uideas. Bonitatẽ Dei erga nos, qui nouit, & suo tempore uult, in nostram utilitatẽ, & illius gloriam, quæ inimicus homo aduersus nos machinatur, transponere: Maliciam uerò, quam uersutus

Chrysost.

August. epist. 146.

Item in lib. Sent. prosp.

ſutus ille ueritatis,& noſtri generis acerrimus hoſtis, nouiſſimis hiſce diebus molitur Chriſtianorum pectoribus inſerere,quò tam ſacroſancti myſterij fidem labefactet. Cæterum (ut in omnibus) ita uel maximè in tam arduis fidei myſteriis obeundis,cõuenit ſemper exordiri à precibus,ut Deus illuminet intelligentiam,rationem,iudicium,quibus illum in hoc ſacramento intelligamus, intellectum amemus, amore coniungamur ei, ſimúſque unum cum illo immortales,beati. NEOPH. Age fiat, tametſi iam antea tuo præcepto id fecerim. ORTHO. Veni ſancte ſpiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris ignem in eis accende.Da nobis intellectum Domine,&inſtrue nos in uia hac,qua ambulemus:firma ſuper nos oculos tuos, ne quouis uento doctrinæ impellamur,ſed conſtantes ſimus in fide Eccleſiæ tuæ, non declinantes,uel ad dexteram uel ad ſiniſtrã. Sit uerbum tuum lucerna pedibus noſtris,ne in caliginoſis huius ſeculi erroribus,ſeu tenebris inuoluamur. Contere Satanam ſub pedibus noſtris uelociter. Non occupet ille regnum tuum. Reſpice clementi oculo, ad omnes diabolica fraude deceptos,ad eos, quorum oculi diffidentiæ ac impietatis uelamine obſcurantur, & homines, cum quibus nobis à pueritia in hominum uictu fuit ſumma conſenſio, in tuo cultu à nobis diſſentire,ne permittas. NEOPH. Amen. ORTHO. Iam aggrediamur.Principio illud placet, quod ſcholaſticã appellat: à qua diſſentire cuiuis ſemper licuit, licebítque, ſine diſſenſionis aut iniuriæ nota. Ea

Oratio Aug. retract. lib. 1. cap. 15.

enim ſemper habita eſt propria illius natura, ut quemuis alliciat, liget neminem. Id quum in initio præ ſe ferat hæc ſcholaſtica determinatio, longè aliud tamen in progreſſu habet, dum non ſolùm quid ipſa ſentit, ſed quid aliis etiam, ſuo iudicio (corrupto uidelicet, & quæ recta ſunt, peruertente) ſentiendum ſit, docet: dum aliter ſentientes Tranſſubſtantiarios, Sacramentarios, Capharnaïtas appellitat: uultque illos non ægrè ferre, neque, ut iniuriam ſibi fieri exiſtiment, ſi ſic appellentur. NEOPH. Memini, & hoc mihi (ut ingenuè fatear) non placuit. ORTHO. Quaſi ſatis procliues non eſſent nunc homines ad maledicendum, niſi iſtiuſmodi prolectamentis attracti. Quis autem hic ſpiritus ſit, Chriſtí ne, an alterius, Deus iudicat, non homo. Sed, his omiſſis, uideamus ſingula, quæ ueluti in faſciculo, ſic ab eo colligata ſunt, ut primo intuitu magnum pondus ad cauſam habere uideantur: ſeparata autem, atque diſiuncta, quam uim habeant, ſtatim cuiuis perſpicuum euadet. In ipſo cauſæ ingreſſu, rhetoricatur (neſcio quid) de authoritate, maieſtate, & ueritate ſacræ ſcripturæ. & cum unus tantùm locus ſit, qui illi fauere, ſpecie quadam uideatur, Rhetoricorum more, illum amplificat. Qui quum ad cauſæ ſuæ defenſionem plures teſtes producere nequeant, rem uſque adeò apertam clamant, ut non ſit opus teſtibus: uel eum, quem fortè habeant, unicum, omni exceptione maiorem fortiter contendunt. NEOPH. Illud niſi præmonitus, non animaduertiſſem. ORTHO. Quaſi uerò

ullus

ullus hodie ſit inter nos, qui uel ſcripturam (ut par
eſt) non reuereatur, uel cauſam iſtam, locorum mul-
titudine, ac non potius uerbi ueritate, menſurandam
exiſtimet. Ad hoc uerbum, omnes quotquot
hactenus aberrauerunt, ueluti ad ſacram anchoram
confugere uolunt, dum quidam ſonum tantùm ſcri-
pturæ, & uerborum ſtrepitum ſectantur, quidam ſpi-
ritum arrogantes, aditum ſcripturæ proprio ſenſu
ingrediuntur, quidam denique non uerba ſolùm,
ſed & mentem ſcripturæ magis afferunt, quos in hac
cauſa imitantes, oſtendamus ſcripturam à nobis ſta-
re, ídque breuitate qua poterimus. Iuſtam enim
huius rei tractationem aliis relinquentes, tantùm
quò apertior ac dilucidior fiat progreſſio, utque me- *Limen.*
1 lius intelligas, quæ uolumus, pauca illa Domini uer-
ba, in quibus ſumma rei, & totius controuerſiæ car-
do uertitur, paucis attingemus, eíſque lucem ali-
2 quam addere, ſi fieri poteſt, attentabimus: deinde,
quod eſt huius inſtituti propria ratio, firmamenta
3 illa, quæ afferunt: & contraria etiam argumenta, ſi
quando occurrant, excutiemus. NEOPH. Illud
iandudum auidè expecto. ORTHO. Chriſtus Ie-
ſus iãiam ſacrificiũ ſui corporis in ara crucis pro hu-
mani generis ſalute oblaturus, poſtquam agnum
paſchalem, agnus ipſe paſchalis, iuxta præſcriptum
legis obtulerat, finierátque omnia, quæ hac in parte,
legis erant, ad uerum (ut ille ait) paſchæ ſacramen-
tum tranſgreditur. Surrexit à cœna, & pedes diſci-
pulorum ſuorum lauit, præparans eos, & ueluti uiã

ſternens,ad alteram cœnam plenã horroris,ut Chryſoſtomus loquitur. NEOPH. Hic obiter (niſi moleſtum eſſet) ſcire deſidero,anté ne, an poſt cœnam legalem,eorum pedes lauerit? & quamobrem appellas hoc uerum ſacramentum, & horroris plenum? ORTHO. Quanquam in ipſo orationis limine, ſint hæ quęſtiones tuę per quam intempeſtiuæ,dicam tamen,ſed hac lege, ut poſthàc medio in curſu, orationem non interrumpas. Vera quidem erant ſacramẽta ueteris legis, uerus agnus, uerus propoſitionis panis,& cæt. præcipuè tamen Hieronymus, præ illis omnibus,appellat hoc uerum ſacramentum,quaſi opponens agno,quòd ueritatem eius rei,cuius eſt ſacramentum, in ſe contineat, quam agnus ille typicus, & cætera ueteris teſtamenti ſacramenta non habebant,ut quæ non dabant ſalutem, ſed promittebant: Et propterea cœnam hanc horroris plenam dixit Chryſoſtomus, quòd magnificentius quiddam, & diuinius ſubeſſet,ut uidebimus. De lotione pedum, anté ne comeſtum agnum, an poſt fuerit, non contendam nunc tecum. Illud conſtat, quòd hac ceremonia præparauit eos, ad huius horrendæ menſæ ſuæ dignam participationem. NEOPH. Meminero: ſed perge nunc quæſo ut cœpiſti. ORTHO. Poſt hæc,inquit Euangeliſta,diſcubuit, & cœnantibus illis,accepit Ieſus panem,& benedixit,ac fregit,dedítque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim

In Matth. cap.26. Vide Iſych. in Leuit. cap. 22. lib.6.

Aug. in tit. Pſal.73.

nim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quibus uerbis fruſtrà propemodum laboramus lucem addere: uſque adeò enim Chriſtiano homini ſunt manifeſta, ut nullam ferè explicationem admittere uideãtur. Tu tamen ô Neophyte, conſidera mecum, & perpende pollicitationem Chriſti factam Ioannis ſexto, ubi triplex panis genus, & ſua tempora pulchrè no-
1 bis deſcripſit. Principio Moyſes, inquit, iam olim in deſerto uobis panem dedit, manna: ſed non erat panis ille uerus, qui edentibus immortalitatem præſtare
2 ualuit. Iam uerò, pater meus dat, & (ſi uultis recipere) exhibet uobis, panem de cælo uerum, uerbum incar-
3 natum, quod per manna figurabatur. Sed & ego, qui ſum eiuſdem naturæ cum patre Deus, promitto me daturum, (tempore uidelicet ad hoc opportuno) uobis panem non minoris precij. Vides umbram per Moyſen datam in deſerto: uides ueritatem à patre præſtitam in filio incarnato: uides denique ipſum Dei filium umbras diſſipantem in ſacramento. Et ut intelligamus cuiuſmodi ſit panis ille, quem pollicetur, ueluti exprimens, ſic omnes alloquitur: Edico uobis ſignificanter, quòd panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. quo loco, ut Chryſoſtomus uerè teſtatur, incipit loqui de hoc, quod iam tractamus, ſacramento. Nam quod hoc ſextum caput Ioannis, de Euchariſtia intelligatur, abundè aliàs faciemus palàm. Quin arbitror conſultius, ut hîc obiter breuitérque eos ab

Circunſtantia prima.

hac arce deturbemus. NEOPHY. Et item ego, quandoquidem hoc est unum præcipuum telum, quo pugnant aduersus eos qui affirmant uerum corpus Christi hîc adesse. ORTHO. Huic itaque Græco Chrysostomo (quem iam attigimus) Latinus accedat (cuius nomine, tam ambitiosè, quàm falsò gloriantur) Augustinus, ut in ore duorum uel trium stet omne uerbum. Is enim aduersus Cresconium ita scribit: Quid de ipso corpore & sanguine Domini unico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse Dominus dicat: Nisi quis mãducauerit carnem meã, & biberit sanguinem meum, non habebit in se uitam. Nónne idem Apostolus docet etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri? Ait enim, Quicũque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ergo Augustino interprete, refertur hoc caput ad Eucharistiæ sacramentum. Quod enim Paulus panẽ appellat & calicẽ, Augustinus, ex uerbis Christi manifestius exponens, carnem & sanguinem dicit: quod & aliàs sæpè facit, cùm ipse, tum Chrysostomus & alij. Apud eundem li. 3. de Euangelistarum cõsensu, insignis locus est, ubi sic scribit: Ioãnes de corpore & sanguine Domini hoc loco nihil dixit (nẽpe post cœnam legalem, in qua agnum cũ discipulis comedit) sed planè alibi multo uberius, de iis Dominũ locutũ esse testatur. Vbi quęso? nusquã, pfectò uberius, imò nullo alio in loco, quod equidẽ memini, quã illo sexto capite Ioannis: uel hinc liquet, quàm subdola sit, (ne

Li. I. cap. 25.

quid

quid aliud dicam) istorum ratio, qui Euangelistas, & Paulũ de sacramentali, Ioannem autem de spirituali tantùm manducatione loqui uolunt, ita ut hanc, ueri corporis comestionem (quod tamen, iuxta eos, abest) libenter appellent, illam uerò, sacramentalem, cui nisi illa sua relatio, aut uirtus accedat, tantùm panem & uinum, & duntaxat sacramentum à nobis ad iudicium sumi acrius contendunt, quasi in sacramẽto uel non omninò, uel aliud adsit, quàm uerũ corpus, quum Augustinus id palam affirmet, & eandem rem utrobique tractari. NEOPH. Isthuc libens audio. ORTHO. Audi adhuc. Quid aliud etiã (inquit) qui sacramentum mensæ dominicæ uitam uocant, nisi quod dictũ est: Ego sum panis uitæ, qui de cælo descendi: & panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi uita: &, Si non mãducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis uitam in uobis. Et alio in loco: Descendit mensa tua plena pinguedine, sacramẽtum corporis & sanguinis eius. Eccè, panis qui de cælo descendit, est sacramentũ corporis eius. Præterea sic scribit: Dominum audiamus, non quidem de sacramento lauacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ suæ, quò nemo nisi baptizatus ritè accedit: Nisi manducaueritis carnẽ meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis uitam in uobis. Et paulò post, Vbi est (inquit) quod eodem in loco de hac ipsa re ait: Panis quem ego dedero, caro mea est pro mũdi uita. Secũdum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramẽtum intelligimus, qui

Aug. de pec. merit. & remiss. lib. 1. cap. 24.

Aug. in annot. super Iob.

Aug. de pec. mer. & remiss. lib. 1. cap. 20.

tunc non fuimus quũ ista diceret: hæc ille. Porrò cõ-
Lib.1.cap. 24. tra aduersarios legis, qui eam uerbis impuris, ipsi impuri, exagitabant, sic habet: Videte, si non sunt isti ex isto genere hominũ, qui loquente Christo de sacramento corporis, & sanguinis sui, dixerunt, durus est hic sermo, quis potest eum audire? &, paucis interpositis, iterum subiungit: Si ergo Dei sapiẽtia uerbis sacramento congruis pascens animam credentem, non curauit insipiẽtiam nauseantem, quanto magis eadem ipsa sapientia, ubi locus & tẽpus timoris fuerat, non amoris, salubrem uolẽs importare terrorem, non curauit insipientis errorem, quamuis ipse præuideret horrorem. Iam uerò ad hæc quid respondere poterunt, nisi (quod idem dixit) pertinacia pugnaces neruos aduersus constantiam perspicuæ ueritatis intendant? NEOPH. Nihil apertius. ORTH. Huius rei testes plures adducere, aut in hisce (re non necessaria) enucleandis diutius immorari quid attinet? Clariora enim sunt ista, quàm ut ullo fuco eludi queant. Et nos etiam hoc ipsum postea (ut se dederit occasio) obiter attingemus. Quare, ut cœperam dicere, diligenter uelim animaduertas illam Christi pollicitationem, in qua sic loquitur, ut dixi: Panis quem ego dabo, uidelicet in cœna, (quando sub sacramẽto dedit in cibum) caro mea est, quam ego dabo, nimirũ in cruce (quando eandem quoque dedit, sed in precium) pro mundi uita. Animaduerte, inquam, quo modo tempus cuique peculiariter, pulchrè distributum est. Hinc enim elucet, quòd Moyses promitte-

bat

bat ſalutem,non autem dabat, Chriſtus uerò ueritatem exhibet. Hinc etiam liquet, quod colligit Hieronymus,uerũ corpus in Eucharistia eſſe, quòd eam ſtatim poſt agnum paſchalem inſtituit: imò (quod Chryſoſtomus perſpicuè dicit) ueritatem figuræ adiunxit. Sicut enim in agno illo fuerat huius corporis umbra & typus,ſic oportuit in Eucharistia ueritatem eius corporis contineri,ut ueritas umbræ reſpõdeat. Ad hæc ſpecta ſeriem ſcripturæ,quid ante hanc cœnam egerit,quid dixerit Chriſtus. Iubet ire in ciuitatem, & parare paſcha: ubi illuc uenit, ſurgit (ut Euangeliſta narrat) à cœna, nimirum à comeſtione ueteris agni(quod doctis magis placet)& primò,ponit ueſtimenta ſua,deinde linteo præcinxit ſe, poſtea lauit pedes diſcipulorum : lotos denique, quo erat linteo præcinctus,extergit. Quis hic non uidet eximiũ aliquid & inſigne, præ illo paſchali agno paraturum dominum? iis adde, quod S. Lucas de illo ſic ſcribit: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum antequam patiar. ſane,eò quòd in hac cœna myſteria ſum daturus,ea,inquam, quæ ſunt noui teſtamenti, nempè corpus & ſanguinem meum ſub ſacramento, ſeu ſpecie panis & uini. Et quanquam omnia (quæ iam dixi)ad cœnam hanc(quã, ut Chryſoſtomus ait,angeli horreſcũt) parata erant,prius tamen, quàm diuiniſſimum hoc ſacramentum inſtituere uellet, iis uerbis, ac plane diuinis ceremoniis, non ſolùm quid accipiendum, ſed etiam quo modo accedendum ſit, innuere uoluit. Quum itaque hæc

Homil.83.in Math.

Theophylact.in Matt. cap.26.

facta ſunt,ſcriptáque omnia ad noſtram doctrinam, ſitque omnis Chriſti actio,noſtra inſtructio, ſcrutemur ſingula breuiter,ut Deus dederit.Nam in his,ſicut iam dixi,ueluti in ſpeculo intueri licet, non ſolũ quid dederit,ſed & quo modo nos idem rectè & facere, & ſumere oporteat. NEOPH. Aurium operam
2. tibi dabo. ORTH. Primum iubet ingredi urbẽ, nam
Deutero.16. extra Hieruſalẽ nefas erat celebrare paſcha. Iam qui uel mediocriter in ſacris literis uerſantur,Hieroſolymã,typũ Eccleſiæ norũt,in qua,ueluti unitate unius domus, nouũ paſcha comedere oportet. Mouemur itaque,ut ſimus concordes,utque uinculo charitatis quaſi colligati, noſtrũ paſcha unanimiter faciamus.

3. Sub hæc, ſurgit & ponit ueſtimenta, quo facto, omnibus,qui dignè ſumpturi ſunt corpus ſuum & ſanguinem,prius ſurgendum à uitiis, ueterémque Adamum exuẽdum planiſſimè deſignat, quod apoſtolus ita exprimit: Expoliãtes uos ueterem hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitione Dei ſecundum imaginẽ eius
4. qui creauit eum. Quòd autem linteo præcinxit ſe, quid aliud indicat, quàm ut ij, qui accedunt ad hanc cœnã, ſint caſti,puri? uel illud potius haud obſcurè nobis inſinuat,quod Propheta dixit, Fides cinctorium renum eius.ea enim, ut aliàs,ita in hoc myſterio primas agit, fides inquam in uerbum Chriſti, adeóque in uerborum energiam, quibus proteſtatur
5. hoc eſſe,quod porrigebat,corpus ſuum. Deinde præparationem aduerte, illam dico lotionem pedũ,

qua

qua omnem ambitionis affectum animis discipulorum eximere uoluit, qua loti, &, ut Paulus loquitur, probati, ac diiudicati, diuinum hunc cibum dignè, ac purè sumerēt. Nam quid aliud, quęso, per hāc lotionem innuit Saluator, quàm quod idem apostolus postea expressit hisce uerbis: Probet semetipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Et sanè notanda est inter alias, hæc scripturæ circunstantia de lotione pedum, & tempore, quo obuiauerunt sibi instituta antiqua & noua. Nimirum fecit hoc, ut docti uolunt, post comestionem ueteris agni: fecit autem, quum iam instituere uellet sacram illam cœnam, in qua consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis. Hic si signum tantùm sui corporis dedit, aut quomodo nouum est quod pollicetur, si idem prius habebant ueteris testamenti patres? Si figuram, cur à cœna iam instructa surrexit? aut quid tanta opus præparatione? satis enim supérque sufficiēs legalis illa præparatio fuisset. Atqui iam antè figuram habuerunt, & sanè multo illustriorem, quàm est frustulum panis, aut uini guttula. quin & longè significantius, & efficacius agnus ille figurabat, ac repræsentabat Christum, & mors illius agni, mortem Christi, sanguis denique sanguinem, quàm tantillum panis & uini. Verum enimuero Moysis est, figuras tribuere: nam umbram lex habuit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, at amplioris iste glorię, præ Moyse, est, & excel- *Cyprianus.*

lentius ministerium sortitus. Non enim figuram tãtùm pro figura posuit, sed gratia est, & ueritas quæ
6. per Christum datur. Hic est, qui tactu sacratissimi sui corporis in hoc sacramẽto exhibiti (si, ut oportet, hoc est, fide eum tetigeris) corpus tuum, non solùm ab omni peccati sorde tergit, sed etiam facit, ut iam unum cum eo corpus fias, & una caro, ut Paulus ait.

7. Iam quòd illic promisisse diximus, hic fideliter implere uidemus. Dabo, inquit. quid? sacramentum ne? ita quidem, sed euidentiori uocabulo usus, carnem meam ait. Hic autem eandem exhibet dicens, accipite. Istorum enim alterum (dare nimirum, & accipere) ex alterius natura dependere, nemo nõ uidet. Deinde, usum rei, quam dedit præmonstrans, addit, manducate: & de sacramentali mãducatione itidem in promissione loquutum iam ostendimus, Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & cæt. Porrò autem, illiusmodi panem promittit, qui esset eius caro: eundem in cœna (ueluti promissis astans) porrexit dicens, Hoc est corpus meum. caro enim & corpus omninò eadem. quin Cyrillus cum Cypriano, ita eloquutum in cœna Dominum attestatur, hæc est caro mea. Postremò, promittens addit, de ea carne se loqui, quam uelit dare pro mundi uita: adimplens autem, hoc inquit corpus quod pro uobis tradetur. Quod autem traditum est, illud ipsum pro mundi uita datum est. Varia quidem nomina, sed res planè eadem. Ita rei promissæ, ipsa promissio undique respondet. Accipite, inquit. Maximæ profectò dignationis

Promißionis & rei promißæ comparatio.

Accipite.

tionis eſt, tantum, támque præclarum munus nobis offerri: & grati animi eſt, quod gratis offertur, placide, & cũ gratiis accipere: ut quod donatur, nõ tam manu, quàm mente, non tam prõpto corpore, quàm fideli animo accipiatur. Et poteſt quidem aliquid accipi tanquã depoſitum, quo non fas eſt uti, eos, qui acceperũt: ne autem hoc exiſtimes, ſtatim adiunxit, Mãducate. Nequaquã de cõmuni alimẽto dictũ eſt: nam, precor te, quorſum diceret Edite panẽ, & bibite uinũ? ut taceam, q̃ languida, quãq; frigida & Seruatore (eo præſertim tempore) penitus indigna fuiſſet oratio: & quid aliud cũ pane & uino, maximè in cœna iam appoſitis, facerẽt, q̃ ederẽt, biberẽt? ſiquidẽ in hũc finẽ & uſum (quod res indicat) procreata ſunt & appoſita, ut illis ueſcerẽtur. Ergo, ſimul cum rei uſu, (quem dixi) inſignẽ erga nos amorẽ, eo uerbo, & magnã humilitatem nobis declarauit: qui non ſolũ humanitatis naturã noſtri cauſſa ſuſcepit, ſed eandem præterea in cibũ donauit, ut per carnis naturam, qua eſibilis eſt, ſuam etiam deitatẽ cõmunicaret, & ſe totũ nobis permiſceret. Præterea, eodẽ, inſtruit ac etiã animat diſcipulos ſuos, & per illos omnes, ut alacres ad hoc conuiuiũ concurramus. Nam quis uel poſſet, uel auſus eſſet Dominũ mãducare, niſi ipſe præcepiſſet? Quòd ergo corpus ſuũ nobis exhibuit, ut deinceps manducaremus, maximum dilectionis ſignum eſt: quos enim amamus, nonnunquam etiam (ut ille ait) morſu petimus. quare Iob, ut ſeruorũ in ſe amorẽ oſtẽderet, dicebat illos ſępenumerò nimio in ſe amo-

Manducate.

Chryſoſt.



re,dixisse:Quis det, de carnibus ei⁹ ut saturemur?Ita & Christus,ut expleat,inq; sui amorem nos rapiat,de carne sua ait,Edite,& de sanguine,Bibite. Iã uerò de istius facti humilitate quid loquar?nisi enim esset humilis,nec mãducaretur,nec biberetur,uerè dixit Augustinus. quæ eius uerba, quamuis ad ea,quorũ potissimũ gratia, hic sermo à nobis institutus est, festinare compellar,non sine breui tamen (ueluti interiecto in margine digito) notatione, transigere certũ est.Nisi esset humilis,inquit,non ederetur, nec biberetur.Affirmant illi Christũ spiritualiter edi, quoties eum fideli quadã cogitatione absentẽ amplectimur. Sed per Deũ immortalẽ,cedo,quæ nam hæc est humilitas, aut quid tandem præ cæteris habet? Nam si hoc sit humilem esse,ad hunc modũ spiritualiter edi, ut tantùm fidelis quædam cogitatio(adhibitis Symbolis,quibus res,quã fide tenemus, ob oculos ponatur)accedat:cur non etiã æquè & amicos nostros absentes,eadem omninò ratione, humiles dicimus? ꝙ scilicet habeamus eos alta mente insedentes, quódq; suorum memoria reficere,ac delectare nos sinãt?uerũ enimuero,tã est præcellẽs ista Domini humilitas, ut reipsa nobis sui corporis manducationẽ in hoc sacramẽto cõmendet,sicut ex iis uerbis tãti Episcopi facilè intueri licet.Sed nec illud sine huius causæ iniuria tacendũ,cuius penè oblitus erã, & imprimis meminisse oportuit. An uerbũ hoc,benedicens,quo usus est Dominus in cœna(ut Marcus refert)nihil tibi significare uidetur?NEOPH Sanè uerò,id quod Matthæo

In psal.33.

8.

Benedixit.

&



& Lucæ eſt, gratias agere: atque hîc deplorandus eſt error, ſeu potius ignorantia populi. putat enim Episcopos, ſatis hac in parte ſuo officio perfunctos, dum manu tãtum, crucis ſignũ formant. ORTHO. Errori malo nemo bonus patrocinabitur: populum doceri cupimus ſi ignorat. At utcũque irrideant hi, quibus nihil niſi nouũ placet, nec illud etiam, niſi in dies renouetur, probant: (uſque adeò pruriũt illis aures) utcunque, inquam, contemnant hoc ſignum, certè Auguſtinus & Chryſoſtomus, alter Occidentis Eccleſiæ lumen, Orientis alter, nihil ritè in Eccleſia fieri, nullum ſacramentum confici ſine hoc crucis ſigno ſæpius affirmant. Sed ad rem. Etſi ſciam non deeſſe, quibus idem (ut tu ais) ſit gratias agere, & benedicere, tamen, ſi penitius introſpexeris, haud parum diſcriminis ex ſcripturarum collatione haurias. Enimuerò uaria eſſe benedictionum genera, nemo eſt ferè qui
1 ignorat. Deus enim nõnũquã homini, & rurſus ho-
2 mo deum, homo item homini, ſæpius benedicit. Nos
3 de ea Dei benedictione nunc loquimur, qua ſolet
4 Deus, uerbo ſuo, uim quãdam & uirtutem creaturis ſuis, per ſe infundere, & rebus ipſis hominum mini-
5 ſterio, benedicere. De iſta benedictione legimus, qua benedixit uolatilibus cæli, & piſcibus maris, & beſtiis terræ, dicẽs, Creſcite & multiplicamini. Et diei ſeptimo peculiariter. Item Geneſis uiceſimo ſeptimo, ſic Iſaac alloquitur filium ſuum minorem, benedicens illi: Det tibi deus de rore cœli, & pinguedine terræ abundantiam frumenti & uini, & ſeruiant tibi po-

puli, & adorent te tribus: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictione repleatur. Et ipſe Iacob cum angelo luctans, ait, Non dimittã te, niſi benedixeris mihi, qui & ſingulis filiis ſuis, iam fermè moriens, benedictionẽ quandam dedit. Atque, ut hoc uerum ſit, quòd Iacob benedixerit, hoc eſt gratias egerit Deo pro filiis ſuis, ita conſtat, quòd per huiuſmodi patris benedictionem, conſequuti ſunt filij uaria Dei dona, ut eſt miſericors, uel pro meritis incommoda, ut eſt iuſtus, quæ tum euentura, Patriarcha ille in ſpiritu præuidit. In nouo autẽ teſtamẽto, Euangeliſta de Saluatore ſic refert: Eduxit eos in Bethaniam, & eleuatis manibus benedixit eis. Sed huic inſtituto magis cõuenit, quod apud eundẽ ſic legimus: Acceptis, inquit S. Lucas, quinque panibus, & duobus piſcibus ſuſpexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & diſtribuit diſcũbentibus. Quid? num agit creator creaturæ gratias, dum panibus benedicit? abſit: quin & illud haud alienũ à re eſt, quod ſcriptura de ficu narrat. Maledixit (inquit) ficui, & ſtatim exaruit: ergo, ut maledictio res in deteriorem ſtatum conuertit, ita, è regione, benedictio in meliorem quandam conditionem eas permutat. Ex quibus uides, quàm uaria ſit huius diuinæ benedictionis natura, quæ iuxta beneplacitam Dei uoluntatem uaria operatur. Illic multiplicationem, & rerum omnium affluentiam: iſtic fortitudinem, hîc ſanctificationem illic ſanitatem, ac cætera dona ſpiritus uirtutéſque, prout ſcriptura ſuis locis commemorat. Quum igitur

tur post istam, de qua nunc loquimur benedictionē, qua(ut Beda cum aliis affirmat) panem benedixit, & calicem mixtum, statim subdat Dominus, atque is Dominus,cui cælum,terra,mare, & omnia obediūt, cum,inquam,subdat, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,consequitur haud dubiè ineffabilis benedictionis effectus,quem,per uerba, commemorat. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionē, fit corpus Christi,ut Augustinus ait. Neque quæuis benedictio cum imploratione sancti spiritus huc cōfert,nisi ea sola,quæ cum Christi ordinatione, & Ecclesia,uerborum Christi certissima interprete,omninò conueniat. Hæc est illa solennis benedictio, hæc illa uerba,quæ perpetuò obtendimus, ueluti clypeū, quo omnes aduersariorū astutiæ & stratagemata excipiuntur,dissipantur, ipsiúsq; Satanæ tela ignita extinguūtur. Quorū quidem uerborū sentētia(ut pressius eadem retractemus) nullis uelaminibus obtecta est: protestatur enim hoc esse non uirtutem solam, aut gratiam quandam sui corporis. Nam hoc ille non dixit. Sed quid? Ne suspicionibus, aut mortalium cōiecturis fallaris,ne uacilles, aut dubites quidnam hoc esset, quod benedixit, quod porrexit, ac iussit edere, ipse omnium Dominus, ueluti promissi sui memor, tibi respondet, ausculta igitur: ipse soluit, argutias ultrà ne quęrito: ipse explicat,amplius, quid uelit,ne dubita,hoc est,inquiens,corpus meum,quod pro uobis tradetur,& cęt. perinde ac si diceret: Recordamini quid olim uobis promiserim: promisi autem me

In S. Marcum cap. 14. idem in homil. feriæ quintæ in cœna Domini. Theoph. in Lu. cap. 24. Euthy. ibidē Chrysost. homil. 17. in Matth. In sermone de uerbis Euangelij, citāte Beda. 1. Cor. 10.

daturum panem,qui esset caro mea,si meministis:en fidemlibero:ecce,hic est panis ille, qui tradendus est pro mũdi uita:accipite,edite: hęc est enim caro mea, quæ uerè est cibus:accipite, bibite : hic est enim sanguis meus, qui uerè est potus . quasi dicat, quod uobis manducandum porrigo, corpus meum (ne fluctuetis) esse cõfirmo. Cõfirmat, inquam, sermonem, quem minimè figuratum esse ostendit, addita causali. Hoc,inquit, hactenus panis,ex hoc iam est corpus meum:& hic calix, hactenus uinum , ex hoc iam est sanguis meus. non plus est,quia non plus dixit. Non enim dixit, hic panis, aut in hoc pane, aut cum hoc pane,aut sub hoc pane.quod si dicis, uerum non dicis,& uerbo addidisti. Neque ait, hoc significat corpus meum,aut est figura, seu uirtus quædam corporis mei : sic enim Dei uerbo plurimum detraxisti, & sanitatem fidei corrupisti. Noli itaque amplius dicere, noli minus. Ne addas uerbo, neque declines uel ad dextram uel ad sinistram,sed qua uia præcepit tibi Deus,illac inambula. NEOPH. Hic iam propriis (quod aiunt) pennis, nisi fallor, ipse transfigeris:cùm enim ætiologica illa dictio nusquam ab Euangelistis exprimatur,quomodo non ipse, qui eam ponis, uerbo addere deprehensus es? quamobrẽ & eam abradũt aduersarii, & magno contemptu, ueluti non scriptã ubique expungunt. ORTHO. Litigiosi homines, quid scriptum, quíd ue apud patres receptum sit,uel non perspiciunt,uel,quod uero similius est,dissimulant. Nam, ut Ecclesiæ authoritatem, quæ omnem

Enim.

hac

hac in re controuersiam Christiano iam sustulit,nūc taceam, in ipso Euangelij contextu coniunctionem illam (enim) expresse positam reperias, apud Theophylactū uidelicet (quem trāstulit Oecolampadius) decimoquarto capite Diui Marci.Et D. Ambrosius, Eusebius,Emisenus,& uenerabilis ille Beda,compluresque alij ita legunt,nempe,cum causali:quæ utique ut dixi,certos nos reddit haud esse figuratiuam locutionem.Et cum in consecratione sanguinis ab Euangelistis(enim)exprimitur, iusta causa est, cur in consecratione corporis,non omittatur.Sed pergo.Rursus idem admonens:Statuit ille metā,tu ne transilias.hoc est enim corpus,inquit,non hæc.& corpus meum dixit, signum meum, aut uirtutem meam non dixit. Præterea,uel ipse,possessiui cum nomine complexus, palam arguit ueram carnis substantiā, eámque adesse confirmat,non autem fictitiam qualitatem. Est inquit hoc corpus nō aliud, quàm quod ipse possideo, meum est:meum dico non significatiuum,neque secundum uirtutem solam, quale non assumpsi, sed meum,utique, secundum essentiam, quam certè ex matre suscepi.Cum enim ait meum, & hoc est,non de qualicunque,sed ipsum,quod tradendum erat(ut mox ipse adiecit)haud dubiè intellexit. Id quod articulus Græcè corpori additus manifestè etiam declarat. Sic enim apertius redditur, hoc est illud corpus meum,quo figuram exclusit, simúlque insigne illud corpus, quod de Virgine natum est, luculenter demonstrauit.Porrò nō dixit, hoc apparet corpus meū:

Meum.

τὸ σῶμα.

Est.

ſiquidem nihil minus uidetur quàm humana corporis effigies. Videmus enim quod non æquale eſt, neque ſimile, non imagini in carne, non inuiſibili deitati, non lineamentis membrorũ: & tamen qui nõ credit, ait Epiphanius, eſſe ipſum uerum ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute. Nõ inquam dixit, Hoc apparet, aut uocatur corpus meũ, ſed, hoc eſt corpus meũ, hic eſt ſanguis meus. Eſt ait, nõ erit: nimirum, ut cõfundat eos, qui uſum Euchariſtiæ de eſſentia eius eſſe, magnis clamoribus hodie perſtrepunt, ita quòd inter ſumendum duntaxat corpus ſit & ſanguis. quò itaque iſtum errorem priuſquam exiſteret (quòd eſt præuidentis Dei ſpiritus) proſterneret, non dixit, hoc erit corpus meum, pro illo, ſcilicet temporis articulo, quo ſumitur, ſed ſiue ſumatur, ſiue non ſumatur (tantiſper dum ſpecies illæ inſeruientes permanſerint) eſt, & manet corpus meum, non nomine, aut re ſolùm, ſed & potentia, & effectu, & gratia, iis qui dignè ſuſcipiunt. Neque diffitemur, quin uirtus corporis & ſanguinis Chriſti ubique in ſacramentis efficaciter, niſi noſtra malitia impediat, operetur. Sed longè aliud eſt ſubſtantia herbæ, in qua ſita eſt uis medicamenti, aliud uirtus in ea manens: ſic aliud eſt corpus, quàm corporis uirtus, aliud eſt tangere corpus, & exterius in ſacramento ſumere, quod faciunt mali: aliud uirtus, quæ cum corpore operatur, quod habẽt boni. Legimus in Euangelio, quòd turba Chriſtum tetigit, imò compreſſit: nemo tamen quia tetigit, uel corporis, uel animi ſalutem adeptus eſt, niſi pia illa

In Ancorato.

mulier,

mulier, quæ cum fide tetigit: ita quamuis quis corpus Christi in manibus teneat, aut dentibus fortiusculè tangat, nisi tamen fidem, nisi desiderium quoddam manendi in Christo habeat, frustra tenet, frustra sumit, frustra de corporali manducatione se iactat: imò ad suam ipsius perniciem, & interitum sumit. Neque hic mihi dicas, quòd fides sola sine contactu illi suffecit. nam & ea fidem antè habuit. Dixerat enim apud se, Si tetigero tantùm fimbriam uestimenti eius, salua ero, sed non prius, quàm tetigit, sanata est. Hanc tu imitare: tange corpus, non ut turba comprimens, sed ut mulier fidens, & tunc sanè, non uirtutem tantùm, sed integrum tibi spondeo Christum. NEOPH. Malos suscipere corpus Christi iam primùm (quod memini) ex te audio. ORTH. Sine dum, ea res longiorem disputationem requirit, & fortè aliâs dicemus commodius. Interim, quod superest de uerbo Domini, absoluamus. Et ne adhuc hæsitemus, aut clara in luce amplius cæcutiamus, ipse se magis explicat, & quò penitus auferret tropicum loquendi modum, quasi nostris occurrens, rursus addit, quod pro uobis tradetur. Quo uerbo attulit pondus priori sententiæ, quæ utique, etsi abundè clara sit, si hanc tamen necessariam appendicem adiunxeris, fit ipsa sui breuitate ualde fœcũda, quasi diceret, Eandem uobis carnem do, quam olim recepi, me daturum pro mũdi uita: hoc est, inquit, corpus, non cuiusuis hominis, sed meum, quod iam pro uobis in cruce clauis adactum uidebitis: similiter hic est sanguis, non ueteris

testamenti, quo Moyses pro tempore populum aspersit, sed noui, quem Christus Iesus in cruce abūdè effudit, & quo nouum testamentum perpetuò confirmauit. Est, inquit, sanguis non ueteris agni, non taurorum, aut hircorū, sed meus est: & qualis ille suus? respondit, qui pro uobis effundetur, siue effunditur, propter imminentem eius effusionem. Iam enim hoc repræsentabat in cœna, quod paulò post erat futurum in cruce. alioqui res planè eadem. Et sanè præsens tempus, Ecclesiæ sentētiam quammaximè confirmat. Quū enim tam de corpore, quā de sanguine loquentes Euangelistæ, uel Paulus, unum tēpus adsignant, quid aliud quàm unam omnino rem esse, unámque substantiam, quæ utrobique cùm in cœna, tum in cruce dabatur, manifestè ostendunt. Quod Chrysostomus, & illius imitator Theophylactus sic explicant: hoc quod in calice est, illud est (non significat, inquiunt) sed illud est, quod ex latere fluxit Christi. Inde autem non effluxit uinum, sed purus & innocens sanguis. Et illud est, inquiunt, quod ex latere Christi fluxit. Et, si idem ille sanguis est, qui ex latetere fluxit, quid ni similiter, & uerum erit corpus, substantia idem quod pependit in cruce, quamuis non idem (ut ille ait) qualitate nimirum, iam glorificatū, ac spirituale? Sed simplex, purus, & plenus est sermo Christi, abundè se explicans, nulla interpretatione opus habens, ut uanissima meritò sit ea calumnia, & ad argumenta eludendum tantùm excogitata, qua apertis scripturis uinci postulāt. quibus nihil usquam,

nisi quod

nisi quod ipsi manifestũ duxerint, apertũ erit. Quid enim hoc uno Christi uerbo apertius unquam excogitari potuit? Quum igitur is dixit, qui cuncta quæ uelit possit, iussitque ministros suos hoc ipsum facere, aut per potentiam, & prolatum ab eo uerbum, in donis propositis applicatum, efficit quod dixit, esse, nempe corpus suum, & sanguinem (quod hactenus pij omnes crediderunt) aut nihil omninò efficit, & tũ quod absit, mentitur Christus, qui ait, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, cùm non sit. Efficit igitur, per suos, quibus hanc potestatem delegauit (modo legitimo ritu id peragant, quod iussit) ut corpus adsit, & sanguis, non duntaxat in signo, nec in sola memoria, sed reipsa quidem: id quod uerba illa indicant, Quod pro uobis tradetur: item, qui pro uobis effundetur. Nam & ea haud mediocrem uim habẽt, & clarissimam sententiam. Sermo enim eius potestate plenus est, ut huc etiam, non incongruenter illud Psalmographi referatur, Dabit uoci suæ uocẽ uirtutis. Simul enim cum uerbo (ut Chrysostomus ait) rẽ confecit: rem, haud dubiè, corpus & sanguinem in sacramẽto dicit. Sunt enim uerba Christi manifesta, sunt operatoria, sunt efficacia, haud aliter ac illa, quibus Deus uiuentia crescere, & multiplicare, & replere terram iussit. Nam, ut ea uox semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem (operante natura) ita & hæc, per omnes Ecclesiæ mensas usque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatẽ. Hîc si Christianus es, Christi uerbis noli diffi-

Vide Isych. li. 6. cap. 22. in Leuit. & Cabasilã cap. 27.

D. Tho. super Matth.

In Matth. Homil. 51.

Idem de proditione Iudæ.

dere,neque minus illius factis credas:nam ille,ille est qui fecit,qui etiã usque hodie, ut Cyprianus ait,hoc ueracissimũ & sanctissimũ corpꝰ suũ (ne amplius de figura, uel sacramenti nomine sibi somnia fingant) creat,&sanctificat,& benedicit,&piè sumẽtibus diuidit. Expẽde quod dicit,ueracissimũ (nẽpe omnis mẽdacij expers) & suum,utique proprium, quod quidẽ esse poterat in cælo:sed addens, hoc suum, hoc ueracissimum, & sanctissimũ corpus, omnem ambiguitatem sustulit, & idem in sacra hac mensa præsentissimum manifestissimè ostendit. Ad hæc,connotare iuuat,quàm dulciter ad huius carnis,seu corporis dignam mãducationem seruator nos omnes prouocat: qui manducat carnem meam,& bibit sanguinẽ meũ (intellige ut oportet)in me manet,& ego in eo. Rursus,quàm acriter cõminatur iis qui hãc corporis mãducationem uel spernunt, uel in ea negligentes sunt: Nisi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis: & Paulus item, Ideo (uidelicet propter indignam, seu negligentem huius horrendæ cœnæ tractationem) inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.Sed age,quandò illuc incidimus, Pauli uerba paulò altius expendamus. Is enim fusius pertractans, quæ magister breui compẽdio, sed clarè, perstrinxit, non solũ quid sit, à quo acceperat, sed & quid nobis hoc sacramentum sumpturis faciendum,quantũ periculum corpori,multo uerò magis animę imminet, si temerè accedimus,palam docet.Ego,inquit,qui nõ

De cœna Domini

9.

10. *Circunstantia.*

In summa.

ab

ab hominibus,neq; per homines missus sum (ne quis contemnat) hoc quod nunc uobis trado, à Domino accepi. Nimirum quòd Dominus Iesus imminente hora passionis suæ, accepit panem, & gratias agens fregit,& dixit,Hoc est corpus meum quod pro uobis tradetur:similiter & calicem,postquã cœnauit,dicẽs, Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine (utique quo confirmatur) hoc facite,quotiescunque biberitis,in meam commemorationem.quibus uerbis,cùm sacramenti ueritas, tum usus, ita apertè exprimitur, ut non posit magis.Bis autem repetit cõmemorationis uocabulum, quia corpus Christi sub specie panis,exangue illud corpus,quod in cruce pependit,& sanguis,sub specie uini,sanguinem in cruce effusum nobis repræsentat. Sed uide,quid diuus Paulus inferat.Itaque, inquit, quicunque manducauerit panem hũc, & biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ecce uerum Christi interpretẽ. Dominus ait,hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus. Iam,ne existimemus hoc duntaxat significare corpus, & sanguinem, aut solùm ita imagine quadam per analogiam apparere nobis, & non reuera esse, inclamat Apostolus, quòd quicunq; manducauerit hunc panem, & biberit calicem Domini indignè,reus erit corporis & sanguinis Domini.Et quare reus erit?quia aliter de eo sentit quã oportet,quia diffidit ueritati dicenti, hoc est corpus meũ: quia ore corporis solùm, corpus & sanguinẽ accipit: quia impœnitens accedit,quia nõ amat: quia deniq; Io. Roff.

innocentiam ad altare non apportat, id demũ eſt indignè accedere. Aduerte animum, quàm terribiliter loquatur Apoſtol⁹, ut nos cohibeat ab indigna ſumptione: Reus erit, inquit, corporis & ſanguinis Domini, peccati magnitudinem oſtendens. & propterea Apoſtolus iterum ſubdit, Probet ſemetipſum homo, & imprimis expendat apud ſe, quam habet fidem de hoc ſacramento, conſcientiam excutiat intus, in ſinu, quod aiunt, ne quod lateat in corde peccatum, animum inquirat, ſi peccandi adhuc libidine teneatur, ſi denique uitæ cibum, eſuriat, aut æternæ ſalutis potum ſitiat. Poſt talẽ ſui examinationem, poſt exomologeſin, poſt pœnitentiã, ſecurus cum humilitate ad menſam uiuentẽ accedat: dignè enim accedit. Sed illud etiam atque etiam uide, ne mentiare. Mentiri Deo (ut ille ait) potes, fallere Deum non potes: nouit ille quid agas, intus te uidet, intus te examinat, intus iudicat, intus aut damnat, aut coronat. Non hîc agitur de Aſini (quod aiunt) umbra, non agitur de communis panis, aut terreſtris uini uſu, ſed de corpore & ſanguine ipſius Domini, & idcirco probet ſemetipſũ homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè ſanguinem Domini (ut Chryſoſtomus recitat) iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: quaſi diceret, hoc eſt illum panem & calicem indignè ſumere, non diſcernere à cęteris cibis, ueneratione ſingulariter debita, ſed corpus Domini uelut alium quẽlibet cibũ indiſcretè, negligentérq; ſumere, quibus melius

Auguſt.

In Ioan. homil. 45.

Auguſt.

eſſet

esset (ut Cyprianus ait) mola asinaria collo alligata mergi in pelagus, quàm sic irreuerēter sacris uti. cōtinuò quippe cū dixisset, iudiciū sibi manducat, & bibit, addidit, nō diiudicās corpus Domini. quod prius panē, hic corpus Domini appellat. Quī & antea, ne de alio quouis pane intelligerēt, eū loqui, quā de cælesti, illū dicit, nēpe, non istius naturæ, sed illū uiuum, illū supercælestē, qui de cælo descendit: illū dico, qui est caro eius eadē, quā ille dedit pro mundi uita. Et proinde non satis habuit semel dixisse, reus erit corporis & sanguis Domini, nisi etiā uehemētius, ac terribilius iudiciū per repetitionē exprimeret, dicēs: iudiciū sibi mādūcat & bibit, nō diiudicās corpus Domini. Quid tecū nunc mussitas? quid contrahis frontē? iám ne aliquid audisti tandem, quod displicuit? NEOPH. Imò, quod terrorē incussit potius, quāuis nō satis assequor, & proinde libens rogarē, quid sibi uoluerit Paulus, & quo modo iudiciū poterit quispiā edere, aut bibere? ORTHO. Sanè eo modo, quo uulgò solemus dicere, de illo, qui uolens uenenū hauserit, uel nimia salubris cibi potús ue ingurgitatione periit: nimirū, hic homo mortē sibi edit, bibit ue. Sic Paulus, propter indignam acceptionē corporis & sanguinis Domini (de quibus dictū est, edite, bibite) iudiciū, condēnationē, & interitū subituros affirmat. Hoc est enim edere, ac bibere iudicium, pro indigna sumptione corporis & sanguinis, æternā mortis sentētiā subire. Hierusalē sic alloquitur Esaias: Cōsurge quæ bibisti de manu Domini calicē iræ eius, usq; ad summū calicis soporem

De cœna Domini.

Esaias cā. 51.

Iob.21. bibiſti,&potaſti uſq; ad fæces.Et Iob ait, quòd de furore omnipotẽtis bibet impius:qua quidẽ metaphora (quę aliàs frequens eſt in ſcripturis)uſus eſt hoc in loco Apoſtolus,pœnã horrendã eorũ indicans, qui ſacramẽto corporis & ſanguinis Domini abutũtur.Etſi uideas quoſdã,uel hinc uenari, quò ſuccurrãt inopi, & ieiuno dogmati,mox ſuo pondere collapſuro, etiã ſi nemo attingat. Non enim eſt conſiliũ contra Dominũ,ut ſapiens ait:ſed nos finẽ aliquando huic loco imponamus.Iam itaq; ne uideatur diuus Paulus hæc dixiſſe ſolũ,&iſtas horribiles minas,tantũ animi cauſa intonuiſſe, ab effectis arguit, atq; ipſos Corinthios teſtes aduocat. Ipſi, inquit, edocti eſtis malo ueſtro, ideò, quòd non probati aditis ſacra hæc,inter uos,alij uiribus deſtituti,alij longo morbo & febribus correpti,alij immatura morte præuenti ſunt,nimirũ, quòd (ut dixi)non cõſiderant, quale ſit hoc conuiuiũ, non cogitant,nõ intelligũt,neque agnoſcũt,quis ille cõuiua,qui nobis in conſpectu adiacet, quis ſit cibus appoſitus, & ut ſemel dicã,quòd non diiudicant,nõdicit gratiã,aut quandã corporis proprietatẽ,ſed ipſum corpus Domini,omnis gratię fontem,uerè adeſſe.Ita pœna grauis, & inſolita Dei ultio, qua propter indignam ſumptionẽ,non ſolũ morbis,morte,ac iudicio (quod Paulus ait) puniti ſunt multi,ſed etiã (ut Cyprianus affirmat)immundis ſpiritibus uſq; ad inſaniã mentis,demẽtiæ furore quaſſati:hęc,inquã,horribilis Dei uindicta, cũ delicti magnitudinẽ, tũ etiam quæ & quãta res ſit,qua de loquitur,manifeſtè declarat.Ita demum

Sermone 5. de lapſis.

demum graphicè hoc ſacramentũ, iſtiúſq; panis naturã nobis depinxit: eúmque à communi, certis quibuſdam & perſpicuis notis, longè latéque diſcreuit,
1 quas addidiſſe, coronidis uice eſto. Primũ, Apoſtoli uerba ſunt: Si quis eſurit, domi manducet. quæ non tam eleganter, quàm uerè ita explicuit S. Ambroſius, ut ſi adeò impatiens quis fuerit, quòd non libeat fratres operiri, aut expectare: domi (inquit) terreno pane paſcatur. Ecce tibi, ex Apoſtolo docuit, terrenum panem domi comedendum. Et Beda monuit, primò ſpiritualibus epulis interius exteriúſque ſacrari, ac deinde terrenis dapibus, & uilibus eſcis corpus refici. Iam, qui hunc terrenum ſeu uilem appellant, quem domi manducamus, quid niſi non terrenum, ac cæleſtem, illum alterum dicunt, quẽ in ſacramẽto percipimus? Ergo, qui cõmunis eſt, domi: hic uerò, non niſi intra Eccleſiã Dei ritè comedẽdus.

Ambroſ. in 1. Cor. 11.

Beda in Lucã li. 6. cap. 22.

Iſychius.

2 Itẽ panis cõmunis, ſeu terrenus, nullo mortis periculo, à quouis etiam grauiſſimo peccatore editur, & parcius comeſtus, ſanitatẽ ac robur affert: huius autẽ uel tantillum, ſi indignè edatur, nõ morbos tantùm, ut prædictũ eſt, ſed & mortem, cùm corporalem, tum æternam unà apportat. Ideò, inquit, inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: & qui mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi mãducat & bibit: rurſus, reus erit corporis & ſanguinis Domini.

3 Denique panis communis ut accipiatur, nulla corporis probatio præcedit: at uerò hic panis, haud indiligentem, & ſeueram exigit totius hominis, hoc

est, & corporis, & animæ examinationem. NEOPH. Sanctæ istius cœnæ uerba, non minus enucleatè, quàm uerè, ut mihi persuadeo, explicas. uerùm literalem istam eorundem expositionem, & proprium sensum illi non amplectuntur, neque agnoscunt: uel ob id potissimùm eam intelligentiam tanquam adulterinam reiiciunt, quòd Dominum, in corpore ita ascendisse creditur, ut nequeat esse in terra. Et proinde, malis ne, est, ꝓ significat, seu corporis nomine, figuram corporis intelligere, haud magnoperè repugnant, dummodo alterum affirmes, quò scilicet scriptura sibi constet. ORTH. Quam uim habeat quod de ascensione afferunt, sub fine, qui proprius ei locus est, dicetur. Interim, ne impunè suas figuras, uel significationes semper inclamitent, S. Augustino (quem totum, ut suum, ubique falsò sibi uendicant) explicanti, nunc iam auscultent. Mysterium enim, quod in Dauide absconditum, spiritu sancto illuminante, ipse uiderat, populo annuntians, nostram, imò catholicam, istorum uerborum interpretationem (quam isti pernegant) claris ac disertis uerbis expressit: ubi huc totis uiribus incumbit, ut explicet, quomodo tricesimi tertii psalmi titulus (qui est de mutatione uultus Dauidis corã Abimelech) uerè in Christo impleatur: sed quæ uerba nos propriè spectant, sic scripta sunt: Et ferebatur in manibus suis. hoc inquit, fratres (gregem sibi commissum alloquitur) quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? quis enim porta-

August.

καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ

1. Reg. ca. 21.

portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur: quomodo intelligitur in ipſo Dauid ſecũdum literam non inuenimus. Eccè, tantum ingenium, tam doctum, tam ſanctum (præmiſſa, ut ait, oratione) quærit, meditatur, ac inueſtigat undique, quonã potuit iſthuc fieri modo in Dauide: & tamen, poſt tantam támque diligentem huius facti diſquiſitionem, negat ſe poſſe inuenire in Dauide, imò, ut tu ſis ſciens, adeóque omnes, negat Dauidem, aut ullum omninò hominẽ (qui non ſit idem & Deus) poſſe ferre ſuum corpus in manibus ſuis. At quãto ſapientiores noſtri (ſi diis placet) qui ſua machæra hunc Gordij nodum facilè diſſecant, ut nimirum, inſpecta Dauidis imagine, dicãt, Hic eſt Dauid propheta, qui ſua funda Goliath proſtrauit: ſic eſt, aiunt, in ſermone Domini, Hoc eſt corpus meum, &c. Tam profundam iſtius myſterij intelligentiam, Auguſtini ingenium nequiuit penetrare. Sed cõſideremus adhuc pauliſper. In re geſta quærit ſanctus Epiſcopus, non ſpiritalẽ, ſed literalem ſenſum, ideóque ait: Quomodo intelligatur in ipſo Dauid (ut uidelicet ſuis manibus proprium corpus ipſe ferat) ſecundum literam non inuenimus. Quod ait ſecundum literam, luce clarius oſtendit, ſe iſtius locutionis figuratiuæ (quam fingunt) benè meminiſſe, ſimúlque hanc ſcripturæ ſententiam, Cùm uerbis ſanctæ cœnæ debere literaliter, quod dicunt, intelligi luculenter commonſtrat. Secundum literam, inquit, in ipſo Dauid non inuenimus, ſed in Chriſto.

Et quid inuenimus in Christo, quod neque in Dauide, neque quouis alio homine inuenitur secũdum literam? Nempè iuxta literam, & ueræ historiæ narrationem in Christo, & ab eo uno solóque factam, & reipsa cõpletam, inuenimus eum tulisse corpus suũ in manibus suis, quando dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, &c. Neque contentus est hoc ipsum semel dixisse, sed uariè, ac dilucidè id exprimit. Et ferebatur, inquit. Et quis ferebatur? respondet, Christus. ubi? in manibus. cuius? ipsius Christi. & quando hoc factum est? quando, inquit, commẽdans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum: id quod in ultima cœna fecit. Christus ergo est, qui (etiã secundũ literã) Christũ portat, quí ue Christi manibus in cœna portatur. Quis nõ meritò hic obstupescat, & inclamet, ô altitudo sapiẽtiæ & scientiæ Dei, quã incõprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Et ne quid perspicuitatis in eo desideres, qui aliàs subobscurus esse solet, utque eundẽ esse, qui ferebatur, & qui ferebat, certò cognoscas, prioris sententiæ rationem subnectens, ait: ferebat enim illud corpus in manibus suis, cũ dixit, Accipite & mãducate, hoc est corpus meum, &c. Ergo Augustino authore, & interprete, sacrosanctæ illius cœnę uerba non metaphoricè, non tropologicè, sed neque allegoricè (quanquã & in ijs sint, quæ constituto iam sacramento, superiorem intelligentiam cõmodè producãt) ipsa, inquam, uerba naturaliter, & secundum literam, hoc est grammaticalem (ut ita dicam)

dicam) ſenſum, atque adeò hiſtoriæ, & rei geſtæ ueritatem intelligenda ſunt. quod ipſum in ſequēti cōcione repetens, propter eos qui pridiè aberant, manifeſtius adhuc (ſi fieri poteſt) declarat. ferebatur, inquit, in manibus ſuis. quomodo ferebatur in manibus ſuis? quia cùm commendaret ipſum corpus ſuum, & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas, quod norūt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret, hoc eſt corpus meum. hæc ille. Accepit, inquit, in manus, quod norūt fideles. Imò ſi panis eſt, quē quotidie edimus, omnes, etiam Ethnici, norunt. & quid ni omnes noſcant? præſertim credentes Catechumeni, qui tamen ab hoc cœleſti conuiuio arcentur. Sed norunt fideles, inquit. & quid illi norunt? Nēpè quòd ipſe ſe portabat. ſe dicit, non panis fruſtulum. Et quomodo tam ingēs myſterium norūt fideles? non ſenſu, neque alia ratione ulla modóue externo, quàm uerbo, quo dictum eſt, hoc eſt corpus meum. Inſuper & illud animaduerſione tua dignū in Auguſtino uidetur, quòd tribus uocabulis, uigilantiſſimis quidem illis, uſus eſt, quò nobis tam ſacrum myſterium euidenter expromeret: nempe, CHRISTO, IPSO SVO CORPORE, & SEIPSO. quæ ut inter ſe niſi uoce non diſtant, ita quò explicatior eſſet oratio, prorſus pro uno eodémque poſuit. Primò ferebatur inquit, CHRISTVS, in manibus ſuis: deinde IPSVM CORPVS SVVM, ferebat. Poſtremò ipſe SE portabat quodammodo, cū diceret, Hoc eſt corpus meum. NEOPH. Hinc illi arripiunt. ORTHO. Scio.

Sed nę iſti illius uiri conſtantiam in erudienda plebe, quam Chriſtus ſanguine ſuo redemit, haud perpendunt. Aut itá ne eſt incuria oſcitans Auguſtinus, ut quæ in myſterio fidei magna cautione & diligentia pridie quæſiuit, quæſita inuenit, inuēta apud populum propoſuit, propoſita demū, quo fixius inhæreāt, repetiuit, ea rurſus poſtridie deſtrueret? Si enim unus ædificat, & alter deſtruit, quæ utilitas? at uerò, ſi quæ unus ædificat, ipſe eadem rurſus continuò deſtruit, quāta uanitas? adde, ꝙ eo ipſo (ſi Apoſtolo credimus) præuaricatorem ſe conſtituit. Ferri quēquam in ſuis manibus, non tantùm inauditum aſſeruit, ſed poſſe id fieri, à quoquam homine Auguſtinus pernegat: in Chriſto autem factum, & tempus, quo id factum eſt, non tacuit. Iam uerò quid ait? ipſe ſe, portabat quodāmodo cum diceret, Hoc eſt corpus meum. Illud quodammodo quid eſt? tollít ne, quod antea extulit, magnóque conatu ſolidè confirmauit? minimè gētium. Sed quod prius in ſolo Chriſto inueniri dixerat, hoc ipſum apud eoſdē auditores, ijſdem uerbis, & eodem planè ſenſu uſus, poſtea fatetur, quódque illic magna uerborum circuitione demonſtrauit, iſthic uno quidem uerbo abſoluit. Ipſe, inquit, ſe portabat quodāmodo. Quos nunquam uidimus (inquit Sapiens) propter uirtutem tamen, & probitatem quodammodo diligimus: idcircóne reuera non amamus, quia, quodāmodo, addimus? An, quod res eſt, diligimus quidem, ſed non tanto eos amore proſequimur, quanto & familiares, & probos,

ſed

ſed, quodāmodo, hoc eſt,nō tam impensè,neque ad eum modum.quæ uox quidem non ſimpliciter, ſed comparatè ab Auguſtino poſita eſt. quaſi dicat, ipſe, humana forma iam conſpicuus, ſe ſuis manibus inconſpicuum uerè exhibuit, uiſibilis ſeipſum inuiſibilem portauit. una eadémque corporis ſubſtantia, una utrobique præſentia, ſed præſentiæ modus uarius.Cæterùm finge tibi modum quemcunque, modo ſecūdum literam, modo in uno Chriſto eum inuenias (quod ubique conſtanter affirmat) iam hic erit uerus,& nequaquam figuratiuus, ſed hiſtoricus ille modus : ut quodammodo, hoc eſt, inſcrutabili modo,& ſingulariter ſibi proprio,quē nec mens concipere,nedum promere queat. ſemper tamen (quod omittendū non eſt) ſecundum literam Chriſtus dicatur ſe tuliſſe in manibus ſuis (quod nemo alius poteſt) nocte illa,cùm diceret, Hoc eſt corpus meum. Et ſanè hæc loquendi formula frequētior eſt Auguſtino,quoties de re ineffabili fit ſermo. Sed unum duntaxat locum indicaſſe hoc tempore, ſatis eſto. Scribēs ad Oroſium,animā (deitatis & angelicæ naturæ comparatione) ſecundum quendam modum ſuum, immortalem affirmauit. Quid igitur?nūquid ideò animam immortalem negauit, quia quendam modum addidit? minimè,ſed contrà magis, eo ipſo confirmauit:ita,neque corporis ſubſtantiam è ſacramento abſtulit,quod hic, quodammodo, adſcripſit, ſed ſtatuit.Et quis ignorat Chriſtum alio modo diſcubuiſſe in cœna, & alio, longéq; diuerſo, eſſe in ſa-

Auguſt. ad Oroſiū. ca. 1.

cramento,nisi qui formam panis,ab humana discretam non nouerit?ut, iure optimo, dicat sanctus ille: Ipse se portabat quodammodò cum diceret, Hoc est corpus meum. Sic tãdem (& pluribus fortasse quàm opus fuit) ex Augustino demõstrauimus uerba beatæ illius cœnæ,proprio sensu iuxta literam intelligẽda,Christúmq; ibi propriis manibus tulisse,non corporis signum dũtaxat aut figuram (id quod cuiuis obuiũ est,& facile)sed seipsum,illud,inquam, ipsum corpus suum,quod nemo alius unquam potuit. Addens ipsum,& suum,exclusit figuram planissimè, ut Erasmus se alicubi explicans,loquitur. NEOPH. Nemo est,credo,cui hæc non arrideant, nisi si qui sint ita recentis doctrinæ fascino colligati, ut neque lingua, neque mens suum officiũ facere queat. ORTH. Maximè, cùm palam apud promiscuam plebem in concione dicantur ubi planissimè,neque pro humano arbitratu,absit. sed summa cautione tanquam supremo iudici,sui sermonis rationem, iãiam redituro, Dei uerbum proferendum illi fuit. Quin si hæc uerba nequaquam literaliter, sed tropicè intelligantur,ita ut Symbolum tantum, & non rei ueritate adsint corpus & sanguis,cur seorsim ad esum huius panis,& istius calicis potationem(id quod in aliis nusquam exigitur) nosmet tam seriò probemus aut diiudicemus ?quòd iubet Paulus. Quare iudicamur ab Ethnicis amentes,quòd bibamus humanum sanguinem? quod dixit Cyprianus. Quare calumniãtur quasi Cererẽ & Bacchum ueneremur? quod fatetur

In detectione.

1. 2. 3.

1.cor.11.

De cœna Domini. Itẽ Tertul. ad uxorẽ. l.2.

Au-

4. Augustinus.[1] Cur tantũ honorem huic pani [2] & calici præ cæteris deferimus, ut fas non sit, nisi ieiunis
5. hęc attigere? Cur Aethiopes[3] (quod de illis scribitur) post acceptam Eucharistiam, toto die non expuunt,
6. imò ne licet quidem ulli nisi grauissima pœna? Cur Catechumeni [4] qui iam Christũ didicerũt, articulósque fidei nobiscum professi sunt, ab hac arcẽtur?
7. Cur pœnitentes olim non intromittebantur? & tantum abest ut sumãt, ut etiam [5] qui peccatores sunt, eã
8. tangere prohibeãtur. Vt quid [6] tam anxia solicitudine olim cauebant, ne quippiam huius diuini pa-
9. nis & calicis in terrã decideret? Si panis [7] triticeus est, & uinũ ex uite, cur ferunt nuptias seu (ut magis appositè loquamur usum corporeæ illius conuentionis, aut impedire, aut certè nonnihil remorari, ea ut
10. dignius accipiant fideles? Cur [8] clausis ostiis celebrabant? An non licuit alieno intueri, dum panem ac-
11. cipiant, & uinum bibant? Cur [9] hoc mysterium, præ cæteris, Ecclesia ita celare uoluit, ut [1] nõ tantum non contingere, sed nec de eo colloquium ullum propha
12. nos, seu infideles audire permiserit? Imò [2] quid fuerit, ne ullis quidem tormentis è nostris unquam extorquere potuerint. quamobrem [3] & interna mysteria
13. uocabant. Cur [4] non singulis etiam laicis priuatim hunc panem sibi consecrare, & ad infirmos deferre
14. liceat? Denique, [5] cum aliũ panem etiam sanctifica-

[1] Cõtra Faustum, lib. 20. cap. 13.
[2] Basilius ser. De ieiunio. Arnobius in Psal. 139. August. ad Ianuarium.
[3] Lib. de fide & moribus Aethiopum.
[4] August. Cyrillus, Chrysost.
[5] Isychius li. 6. cap. 22. in Leuit.
[6] Orige. in Exod. homil. 13.
[7] Ambr. in 1. Cor. 7. Hiero. li. 1. cõtra Ioui. Idem in apologia. Beda, li. 1. cap. 27. in historia Anglorũ.
[8] Chrysost. in Matt. homil. 24. Idẽ ho. 72. Cyrillus li. 12. cap. 59. in Ioannem.
[9] Theodoretus dialogo 1.
[1] Diony. Eccle. hierar. cap. 1. [2] Eusebius, eccle. hist. li. 5. cap. 1. Item Oecu. 1. Pet. cap. 2. [3] In appendice Oecu. [4] Chrysost. homil. 17 in Matt. Item de consecrat. dist. 2. cap. peruenit. Consil. [5] Chrysost. de opere imperfect. homil. 17.

tum,animalibus iactare,& dare infidelibus liceat,cur hunc tam infidelibus porrigere, quàm animalibus dare ut nefas, prohibemur? Quorsum hæc omnia? quorsum ista & audirent, & paterentur pij homines, pro pane & uino,in quibus tantùm gratiæ actæ sunt, si non uniuersæ Ecclesiæ persuasum esset,hoc sponsi sui uerum corpus esse, & uerum sanguinẽ? Cæterùm illis frustra hæc canimus, quum quidam etiã hodie nos,ut olim Ethnici,& irrident, & amẽtes iudicant, quòd hæc docemus, quòd credimus: Nihilominus tamen,quicunque haud leuiter ea secum pensitat, & cui uita curæ est,eum procul dubio, ut debent, mouent plurimum. Hic iam si in figuris ueteris testa- 1.
menti,huic diuinissimo sacramento applicãdis im-
Vide Chrysost. super 1. Cor. cap. 11. homil. 27. Idem in ser. de beato Philogonio. Chrysost. de sacerdot. lib. 6.
morarer, si de peccatorum confessione,uigiliis, pre- 2.
cibus,eleemosynis,ac ieiuniis, quæ uel Ecclesia præscribere,uel pij adsumere sponte sua soleant,priùs, ad
Eucharistiã,quàm accesserint:si de miraculis quibus 3.
sanctus Chrysostomus (etiam si nonnulli hodie obganniant) facilè credit,uerba facerem:postremò si de 4.
effectis huius diuinissimi sacramenti dissererem, aut
si patrum testimonia,quibus non tantùm corpus ue- 5.
rum adesse,sed id summè etiam adorandum fortiter, ac strenuè affirment,inserere liberet, uix aliquãdo finem inueniret oratio. Etquãquam hæc,quæ iam dixi, inter alia magnum habeant momentum,ad hanc ueritatem, quam hodie contra figuratores istos & umbratiles,qui suos tropos nobis magnificant, tenet Ecclesia,cùm declarandam,tum defendendam,tamẽ

quia

quia exactam de hoc ſacratiſſimo myſterio tractationem doctis relinquimus, & longiorem diſputationem, quàm ratio huius inſtituti patitur, requirit, hoc pelagus non ingrediar. Sed ne uidear omni expectatione te hac in parte penitùs defraudare, unam tantùm, ſed inſigniorem myſterij figuram leuiter attingam: ut, quemadmodum promiſſionem cum re promiſſa paulò antè breuiter contulimus, ſic etiam figuram cum figurato nunc iam paucis applicemus: Deinde introducam te in ſanctorum patrum pacificum honorandúmque conuentum, ut ueluti per trãſennam introſpicias, ubi aliàs forſan moram facere diutius licebit, nunc uerò non licet. Illud ergo in confeſſo eſt, ueteris teſtamenti ſanguinem, nouum repræſentare: & illũ in cratêre miſſum, & ſuper altare fuſum conſtat. Scriptum eſt enim, Immolatis uictimis pacificis, tulit Moyſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in cratêre: partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Hanc figuram quomodo, aut ubi impleuit noſter ille Moyſes Chriſtus Ieſus (ſiquidem impleuit certiſſimè) niſi quando ſicut eundem ille, ſed ueterem, ſic eundẽ iſte, ſed nouum, ſuũ uidelicet ſanguinẽ, & in poculo noui teſtamẽti coram diſcipulis bibẽdũ in cœna repoſuit, & ſimul in altari crucis pro nobis copiosè effundẽdũ dedit. NEO. Perappoſita quidẽ hæc eſt, & nimiũ aperta collatio. ORT. Quin bibliothecã introeamus. Eccè hîc eſt Ignatius inſignis Chriſti martyr, & antiquiores quique ſuo ordine cõgregati. Hic eſt Cyprianꝰ, hic Mediolanen-

Exod. 24.

ſis Ambroſius, & Hipponenſis ille Auguſtinus, deinde reliqua, ut uides, multitudo ſanctorum, illuſtriúmque uirorum, qui Chriſti Eccleſiam, ſanguine, exemplo, & ſermone condecorarunt. Hi, hi ſunt cæleſtes illę aquilæ, ad hoc corpus adorabundi conglomerantes, clara dulcíque harmonia apud omnes uerè Chriſtianos eius ueritatem perſonantes. quippè omnes, uno corde, ac ore, & ueluti uno calamo unanimi, de Euchariſtia[1] corporis Chriſti, ſentẽtia crediderunt, docuerunt, ſcripſerunt, eam nunc[2] gloriã Dei, nunc antidotum non moriendi, nonnunquam immortalitatis medicamentum, & panem Dei appellantes. Ne autem in ipſo ingreſſu te lateat, unde, aut ubi comparandum tãtum bonum, hoc ab Ignatio imprimis diſce. Si quis, inquit, non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei, quem uariis nominibus efferunt, ut quiſnam fuerit panis ille, aut cuius naturæ, uel luſcus facilè perſpicere queat. id quod in cæteris quoque nomenclaturis non minus perſpicuè faciunt, cuius rei guſtum quendam hîc tibi libens præbebo. Vbi, quod unus aliquis, uel cautiùs propter canes, uel obſcuriùs propter porcos, uel lentiùs denique propter catechumenos, fortè dixerit, hoc ille ipſe, uel alius ſui temporis quiſpiam apertius ſæpè explicabit. Igitur (quia de eo iam cœpimus dicere) appellant hunc panem[3] communicationẽ corporis Chriſti.[4] panem nitidum, panem ſanctum, panem[5] diuinæ ſubſtantiæ,[6] panem uitæ,[7] panem qui

[1] Cõcil. Carthag. 4. c. 38.
[2] Ignatius in epiſtola ad Epheſios.
* In eadem Epiſtola.

PANIS.

[3] 1. Cor. cap. 10.
[4] Beda in hiſtoria gentis Anglorum.

[5] Ambroſius lib. 6. de ſacramentis. cap. 1. [6] Iſychius. li. 6. cap. 22. in Leuit. & Orig. in Lucam. homil. 23. Idẽ li. 8. cõtra Celſum. et homil. 5. in diuerſos. [7] Bernard. in uigil. nat. Domini, ſermon. 1.

dat uitam mundo, panem cælestem, [8] qui est caro Iesu Christi, panem [9] in passione fractum, ac comminutum, panem [1] mutatum, & ita mutatũ, ut omnipotẽtia Dei factus sit caro: mutatur enim panis communis in [2] carnem & sanguinẽ Domini: in ipsum inquam, corpus Christi, [3] quod uerè mactatum est, quódque sedet ad dexterã patris, est panis [4] trãsmutatus, panis [5] transelemẽtatus, panis [6] in carnẽ Domini trãsformatus, panis [7] diuinitati unitus, panis [8] qui est tradendus pro mundi uita, panis [9] qui de cælo descendit, panis [1] qui peracta sanctificatione, iam non amplius figura est Dominici corporis, sed ipsum sanctissimum corpus Domini: quíque non tantùm figura quędã carnis Domini, sed est caro ipsa Domini: panis [2] qui certa consecratione mysticus sit, nobis non nascitur: quippe [3] nõ hoc est quod natura formauit, sed quod benedictio cõsecrauit, qua benedictione [4] & ipsa natura mutatur. Non enim [5] aratio, non satio, non agricolarum opus hunc protulit, sed filius Dei eum nobis parauit: fit autẽ huic [6] nouæ agriculturæ pro pluuia, spiritus

[8] *Aug. in Ioan. tract. 26. Ignatius in Epist. ad Roma. Item Hilarius in psal. 127.*
[9] *August. in sermone de 4. feria. cap. 6.*
[1] *Cyprianus de cœna Domini.*
[2] *Cypria. de cœna Do.*
[3] *Nicolaus Cabasila de uenerando altaris sacrificio, cap. 32. cap. 16. 27. 30. 1. & passim.*
[4] *Ioan. Damasc. li. 4. cap. 14.*
[5] *Theophylactus in 14. ca. D. Marci.*
[6] *Theophylactus in 6. cap. Ioannis.*
[7] *Damasc. li. 4. cap. 14.*
[8] *Sedulius in Carminibus.*
[9] *Hiero. contra Ioui. lib. 1. Bernard. ser. primo, in uig. nati. Do. Hilarius in psal. 127. Rabanus de corp. & sang. D. cap. 57.*
[1] *Nico. Cabas. cap. 27. Theophyl. in 6. Ioan. Haimo homil. de pass. Domini secundum Mat.*
[2] *August. contra Faustũ. Ma. lib. 20. cap. 13.*
[3] *Ambrosius de iis qui mysteriis init. cap. 9.*
[4] *Ambrosius, &c.*
[5] *Grego. Nyss. in uita Moseos.*
[6] *Ioan. Damasce. li. 4. cap. 14.*

ſancti obumbrans uirtus per inuocationem. Eſt panis[7] non iam cõmunis, aut[8] eleemoſinæ,[9] non terrenus, neque talis, quali in[1] communi menſa ueſcimur: hũc enim (tametſi, iuxta Pauli doctrinam, per uerbum Dei & orationem ſanctificetur)[2] & animalibus iactare, & infidelibus porrigere licet, illum uerò nõ licet. eſt, inquam, panis[3] nulla multitudine conſumendus, panis[4] qui nulla antiquitate ueteraſcit, nempe epulum[5] incorruptũ, panis[6] non iam communis, ſed[7] cæleſtis, ſed[8] uiuens, ſed[9] ſuperſubſtantialis, panis[1] ſuper omnes ſubſtãtias, panis[2] angelorum, panis[3] corporis, panis[4] uiuificus, panis[5] de cælo deſcendens, panis[6] uiuus de cælo:[7] non qui ſeceſſum ingreditur, ut reliqui cibi, ſed qui animę noſtræ ſubſtantiã fulcit. ipſe enim[8] nos incorporat ſibi, ipſe ſimul[9] ſanctus, ſimul & ſubſtantiæ noſtræ nutritor ipſe nobis cibi ſubſtantia exiſtit & nutrimentum.

QVOD enim Dominus in cœna dedit, docent eſſe[1] non quamcũque uilem,[2] ſed ſui corporis eſcam,[3] cibũ altaris,[4] cibum ſanorum,[5] cibũ in quo ſaluamur,[6] cibum qui etiam mentem

7 Irenæus lib.4.cap.34.
8 Hiero.contra Ioui.lib.primo.
9 Ambroſius in 1.Cor. 11.
1 Chryſoſt.in Matt. homi. 17. de opere imperfecto.
2 Refert Optatus li.2. cõtra Par.iacta tam canibus Euchariſtiam, qui accenſi rabie, ipſos dominos ſuos quaſi latrones (ſic enim loquitur) ſancti corporis reos, dente uindice, tanquam ignotos, & inimicos laniauerunt.
3 Cyprianus de cœna Domini.
4 Cyprianus de cœna Do.
5 Origenes homil.5.in diuerſos.
6 Irenæus li.4.cap.34.
7 Hilarius in Pſal. 127.
8 Baſil. Mag.in exhortat.ad bap.
9 Cyprianus de cœna Domini.
1 Hiero.li.3.contra Pelag.
2 Aug. ſermone primo de tempore.
3 Grego.in uita Moſeos, quãquam & hoc, aliũ perinde ſenſum quibuſdam uideatur recipere.
4 Nico. Cabaſila cap.36.
5 Auguſt.in tract. euangeliij ſecundũ Ioan 26.
6 Hilarius in Pſal. 127.
7 Aug in ſermone 28.de uerbis Do. ſecundum Lucã.Ioan. Damaſc.li. 4. cap. 14. Euthy. in 26.ca. Matth. Cabaſil.ca.38.
8 Auguſt.in Ioan.tract.26.
9 Iſych.li. 6. in Leuit.cap. 22. Chryſoſt.ad Neophytos.

CIBVS.

1 Beda li.6.cap.22.in Lucam.
2 Arnobius in Pſal. 110.
3 Aug.in Ioan.tract.50.
4 Origenes in Pſal.37.
5 Hilarius in Pſal.64.
6 Cyprianus de cœ. Do. Chryſoſt.ſer. de Philogonio.

tem attingit, cibum in quo est [7] uerbum caro factum, cibum [8] cælestem, cibum [9] spiritualem, cibum [1] sacratissimum, cibum [2] immortalitatis, cibum [3] satietatis (utique nó uentrem, sed mentem impinguat:) rursus, cibum [4] non satietatis, sed sanctimoniæ, cibum [5] uitæ, cibum [6] panis uiui, non [7] exterum (ut qui aliunde nascitur) cibum [8] corporis Dominici, cibum [9] Dominicum, [1] diuinum, [2] inconsumptibilē, cui se diuina infundit essentia, cui, ut alius ait, [3] infundit Deus uim uitę, cōuertens ea, (panem uidelicet & uinum) non dicit, in uirtutem, sed in ueritatē propriæ carnis. SIQVIDEM, Caro est quā forma [4] panis opertam in sacramento accepimus: in sacramento, inquam, [5] adest nobis haud dubiè, carnis ipsius Christi uera substantia, caro [6] nō puri hominis, sed Dei, caro [7] diuinæ substantiæ, [8] non alia planè, quàm saluatoris, eadē quæ sumpta [9] & nata est de Maria, quæ passa in cruce, quæ resurrexit de sepulchro, caro [1] saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit, quam [2] hodie quoque in

[7] Hilarius. lib. 8. de tri. Cyrillus ex catena aurea. D. Tho. in Luc. ca. 22.
[8] Rabanus de corp. & sang. D. c. 28.
[9] Chrysost. de proditione Iudæ.
[1] August. aduersus Cresco. li. 4. ca. 19.
[2] Rabanus de corp. & sang. D. c. 47.
[3] Chrysost. ad Neophytos.
[4] Concil. Nicenum.
[5] Rupertus in Matth. cap. 26. li. 10.
[6] Hilarius in Psal. 127.
[7] August. ad Ianuarii. Epistola. 118.
[8] Ambros. in Psal. 118. sermone. 15.
[9] Hilarius. li. 8. de tri.
[1] Isych li. 6. ca. 22. in Leuit.
[2] Cyprianus de cœna Domini.
[3] Cyrillus, citante D. Thoma in catena aurea super Lu. cap. 22. quem locum attigit Oecolamp. in dialogo, sed truncatim, &c.

CARO.

[4] De consecratione dist. 2. cap. Hoc est.
[5] Bernard. in sermone de sancto Martino.
[6] Theophylact. in cap. 6. Ioan.
[7] De cōsecratione dist. 2. cap. Sicut est.
[8] Rabanus de corp. & sang. Domi. cap. 3. & 34. &c.
[9] Rabanus de corp. & sang. Domi. cap. 3. &c.
[1] Ignatius in Epistola ad Smirnenses, citante Theodoreto dialog. 3.
[2] Ambros. li. 3. de spiritu sancto. ca. 12.

mysteriis adoramus, imo quisquis hanc eandē carnem non adorat, peccat,& [3] iniquitatē delicti, quod propriè in Deum est, ut Isychius loquitur,cōmittit. Quæ hîc [4] ministratur, caro est uerissima,caro [5] sancta, caro [6] diuina, caro [7] resurrectionis noua, caro [8] uiuificans,uerè uiuificatrix, & ipsius [9] uerbi propria,quā fideli corde atque [1] ore suscepimus,caro [2] agni Dei,caro [3] uiuax, & uitæ plena, caro [4] in qua Christus ambulauit, caro [5] Domini,caro [6] Dei,caro [7] uerbi, caro [8] incarnati, caro [9] corporis, caro [1] Christi propria, caro [2] quæ pro nobis oblata est, caro [3] nobis similis, sed à peccato libera,quæ [4] etsi panis uideatur, attamen corpus Christi & caro eius est,quam [5] natura quidē eandem dedit, ut eam hic assumētes, in ipsam permisceamur.

EST ENIM [6] carnis Christi eduliū,eduliū [7] corporis Christi, quo saturamur, eduliū [8] quod defæcatis animis nō horrori, sed honori est, [9] tutela fidei, [1] alimentum carnis Christi, alimentum [2] sanctissimum, ac [3] munimentū Dominicæ saturitatis, quo, qui cū aduersario sunt colluctaturi, arman-

[3] *Isychius lib.6.cap. 22.in Leuit.*
[4] *Rabanus de corpore & sang.Domini,cap.57.*
[5] *Cyrillus contra Nestorium.*
[6] *Hiero.in Epistolam ad Ephes.ca.1.*
[7] *Bernardus in uig. natiui.Do.ser. 1.*
[8] *Ex symbolo Ephesino.Rabanus de corp.& sang.D.ca.6. Iterū de consecrat. dist.2. cap. Neceß. Caßiodorus in Psal.110.*
[9] *Chrysost in Psal.50. Itē ex Concil. Ephesino.Caßiodorus in Psal.110.*
[1] *Aug. contra aduersarium legis & prophe.ca.9.li.2.*
[2] *Rabanus,cap.57.*
[3] *Chrysost.in ca. 10.1. Cor.*
[4] *Aug.in psal.98.*
[5] *Theophylact.in Ioan.cap.6.*
[6] *Cyrillus in Ioan.li.4.cap.14.*
[7] *Orig.in Numeros, homil.7.*
[8] *Iustinus, apolog.2.*
[9] *Hilarius de trinitate.lib. 8.*
[1] *Crysost.in Psal.50.*
[2] *Ambros.in 1.Cor.11.*
[3] *Chrysost.in. 1.Cor.ca.11.*
[4] *Theophylact.in 26.cap. Matthæi. Haimo in 1.Cor.ca.10.& 11.*
[5] *August.in Psal.98.*

EDVLIVM.

[6] *Cyprianus de cœna Domini.*
[7] *Theophilus Alexand.li.2.pasch.*
[8] *Cyprianus de cœna Do.*
[9] *Optatus contra Parm.li.6.*
[1] *Grego.in sermo. Ego sum pastor bonus.*
[2] *Theodoretus in dialogo.2.*
[3] *Cyprianus li.1.Epist.2. Ambros.in Psal.118.uersu, Media nocte,&c.*

armãtur. EST item[4] uiaticum alterius uitæ[5] cõseruatorium ad resurrectionem uitæ æternæ, pignus[6] futuræ gloriæ, pignus[7] uitæ æternæ, spes resurrectionis,[8] uitę æternæ portio,[9] spiritualis, atque[1] immortalitatis alimonia,[2] cuius comestione resuscitabimur in nouissimo die:[3] uiaticum, inquam, sacrosanctæ cõmunionis,[4] uiaticum necessarium,[5] cæleste, saluberrimum,[6] quo nemo sub exitu fraudari debet. denique est[7] uiaticum Dominici corporis.

ENIMVERO quod accipimus[8] corpus est Domini,[9] & saluatoris nostri Iesu Christi, ipsum[1] corpus Christi est[2] de quo Gabriel ad Virginem dicebat, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi, ideo & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius Dei. Corpus[3] est redemptoris, corpus[4] agni, corpus[5] humilitatis Domini, corpus[6] Christi salutare,[7] sacrosanctũ,[8] preciosum,[9] ueracissimum,[1] sanctissimum, corpus[2] inæstimabile, corpus inuiolabile, corpus[3] uerbo Dei personaliter unitũ, ipsum corpus[4] uiuificum, in quo[5] omnis sanctifica-

VIATICVM.

4 Beda in hist. li. 4. cap. 24. Grego. in Epistola 49. Aug. de uisitatione infir. Remigius in Psal. 21. Paulinus in uita Ambrosii.

5 Atha. de uerbis Euãgelij quicũque dixerit uerbũ aduersus filiũ hominis, etc.

6 In cantu Ecclesiæ.

7 Optatus li. 6. contra Parm.

8 Cyprianus de cœna Domini.

9 S. Leo in Epistola ad clerum, & plebem Constanti.

1 Cyprianus de cœna Domini.

2 Cyrillus in Ioan. lib. 4. ca. 15.

3 Beda in hist. li. 4. ca. 23.

4 Concil Nicenum primum. ca. 12.

5 Beda in histor. li. 4. ca. 24.

6 Vide Eccl. Eusebij hist. li. 6. ca. 34. etc.

7 Beda in hist. li. 4. cap. 24.

CORPVS.

8 Basil. Mag. de Baptismo.

9 Hiero. ad Hedibiam. quæst. 2. Idem habetur in missa, qua utũtur Aethiopes.

1 Augusti. in Psal. 33.

2 Isychius in Leuit. lib. 6. cap. 22. & Damasce. li. 4. cap. 14.

3 Concilium Ephesinum. Grego. in homil. pasc. 22. Haimo de agno paschali in Exod.

4 Hiero. in Psal. 104.

5 Aug. in Psal. 21.

6 Cyrillus. lib. 12. in Ioan. cap. 50.

7 Cyrillus citãte D. Thoma 22. D. Luc. in catena.

8 Concilium Nicenum ab Oecoläp. citatum in suo dialogo.

9 Cyprianus de cœna Do.

1 Cyrill. in Ioan. li. 12. cap. 50.

2 Beda homil. in feria 4. palmarum.

3 Anselmus in 1. Cor. 11. Rupertus li. 6. in Ioan.

4 Euthy. in 26. cap. Matthæi.

5 Isychius li. 7. in Leuit. ca. 26.

tio, in quo omnis plenitudo inhabitat diuinitatis, corpus [6] Domini omnipotentis, hoc corpus [7] omnipotens, quod olim cũ hominibus uersabatur, [8] corporis Christi unitas, corpus [9] Iesu, corpus [1] Domini Iesu, in quo est remissio peccatorum, postulatio diuinæ recõciliationis, & protectionis æternæ, corpus [2] Domini omnium, ipse Dominus [3] factórque omnium, & [4] magni Dei figmentũ, [5] quod manibus sacerdotis pertractatur portatúrque: corpus [6] purum, & immaculatum, [7] Dei corpus, Dei, inquam, & [8] Domini sanctũ, [9] ipsius uitæ, seu naturalis uitæ corpus, corpus [1] uerbi, corpus [2] unigeniti, corpus [3] crucifixi, [4] ipsum crucifixum, corpus [5] in quo tanta perpessus est, corpus [6] quod diuinæ naturæ particeps est, &, ut ille loquitur, [7] deificatũ, corpus [8] Dominicũ, cui corpori, hoc honoris seu reuerentiæ, ab uniuersa Ecclesia, spiritu sancto doctore, tributum est, ut in os Christiani hominis prius intret quàm exteri cibi: corpus [9] affixum, uerberatum, lancea uulneratũ, quod morte deuictum nõ est, corpus [1] quod in cru-

ce

[6] Beda in Eccle. historia gentis Anglorum. li. 1. ca. 27.
[7] Nico. Cabas. de uenerando altaris sacrificio, cap. 33.
[8] August. li. 3. de consensu Euang.

[9] Bernardus in uigilia nati. Do. ser. 1.
[1] Ambrosius in Psal. 118. uersu Media nocte, &c. Cassiodorus in Psal. 110.

[2] Chrysost. homil. 24. in 1. Cor. 10.

[3] Oecumenius in 1. Cor. cap. 11.

[4] Grego. Nazian. in Car.
[5] Chrysost. de sacerdotio li. 6.

[6] Theophylactus in 14 cap. D. Marci.
[7] Ioan. Damasc. li. 4. cap. 14. Item Euseb. Emissenus in sermone de corp. & sang. Dom.
[8] Cyprianus sermone quinto de lapsis.
[9] Cyrillus in Ioan. lib. 3. cap. 37. & li. 10. cap. 13.
[1] Origenes in tract. super Matt. 35.
[2] Nico. Cabas. cap. 46.
[3] Ioan. Damasc. li. 4. cap. 14.
[4] Aug. in Psal 33. ad id: Accedite ad eũ.
[5] Aug. in Psal. 33. ad id: Mors pecc. pes.
[6] Chrysost. in 1. Cor. cap 10.
[7] Ioan. Damasc. li. 4. cap. 14.
[8] August. ad Ianuarium. Epistola 118. & Tertull. ad uxorem. Basil. Mag. sermone de Ieiunio.

[9] Chrysost. in cap. 10. prioris ad Cor.

[1] Rupertus li. 6. in Ioan. cap. 6.

ce pependit,[2] corpus quod in præsepe reueriti sunt Magi: quin[3] hęc mẽsa uicem explet præsepis: nam & hîc, ait, ponitur corpus Dominicũ,[4] corpus quod crucifixum, quod interfectum, quod sub Pontio Pilato pulchrum testimonium confessum est, quod colaphis appetitum, cõtumeliis affectum, & sputa passum est, & fel gustauit, quod probra contumelias, tribices uerè suscepit: [5] corpus quod ascẽdit, nam qui sursum sedet, nullis præstigiis, sed manibus tenetur: qui [6] quod nemo hominum potest, proprium corpus propriis manibus portabat, ferebat, & idẽ nobis mãducandum dedit,* corpus regiũ, [7] corpus quod æqualiter (boni & mali) accipimus, [8] corpus quod indigno ore mali accipiũt: [9] corpus quod summo honore dignum est, quod non in cœlo est tantum, sed idem in terra ostẽditur, tangitur, comeditur: [1] corpus enim Christi propriũ est, & propriè[2] corpus eius est, quod in disco aureo.

[2] Chrysost. in 1. Cor. cap. 10.

[3] Chrysost. in sermone de Philogonio. sub fine.

[4] Nico. Cabas. de uenerando altaris sacrificio.

[5] Chrysost. li. 3. de sacerdotio. Cabas. cap. 1. 16. 30. 37. &c.

[6] August. in titul. Psal. 33.

* Chrysost. in 1. Cor. 10.

[7] Hiero. contra Iouinia. li. 2. Chrysost. homil. 17. 1. Cor. 11. Theoph. cap. eod. Cyprianus de cœna Domini.

[8] D. Leo cognomẽto Magnus ser. 4. de quadrag.

[9] Chrysost. in 1. Cor. cap. 10.

[1] Chrysost. homil. in Matt. 83. Cyrillus in interpretat. anath. 11.

[2] Theophylact. in 14. cap. D. Marci.

ITEM CALIX benedictionis, cui benedicimus, est noui testamẽti nõ ueteris: [3] poculum sanguinis Chri-

CALIX.

[3] Euthymius in 1. Co. 10.

sti,[4] poculum uitæ,[5] calix uitæ ęternæ,[6] calix sanctus & impollutus,[7] calix singularis,[8] calix formidandus,[9] calix terribilis, qui utrãque, id est, & diuinam & angelicã, superat naturã, & omni uirtute decoratur,[1] calix Domini uerè formidolosus, ac[2] tremẽdus, utpote[3] in quo portatur sanguis Christi,[4] in quo est sãguis, quo redempti, & uiuificati sumus,[5] potus uerus,[6] potus admirabilis, nẽpe, (ut ipse, se exponens, addit) salutaris sanguis,[7] potus uitæ æternæ,[8] potus sacratissimus,[9] potus altaris,[1] potus sãcti & sanctificantis sanguinis, est[2] sanguis noui testamẽti, non ueteris,[3] sanguis Domini, & saluatoris nostri Iesu Christi,[4] sanguis Iesu incarnati,[5] sanguis uerbi Dei,[6] sanguis Dominicus,[7] sanguis diuinus,[8] sanguis auro infusus, &[9] effusus in remissionem totius orbis peccatorum,[1] sanguis ipse preciosus,[2] non typi, sed ueritatis,[3] sanguis redemptionis nostræ,[4] qui fidelium corde & ore illorum sumitur in salutem, atque ad ablutionem peccatorum: infidelium autem, & malorum ore indigno, ad iudicium, mortem, & damnationem

[4] *Origenes homil.5.in diuersos.*
[5] *Isychius li.7.cap.24.in Leuit.*
[6] *Isych.li.6.in Leuit.cap.22.*
[7] *Dionysius in Eccle.hierarch.cap.3.*
[8] *Chrysost.in Ioan.homil.84.*
[9] *Chrysost.homil.ad baptizandos.*
[1] *Chrysost.in 1. Cor.ca.10.homil.24.*
[2] *Euthymius in Ioan.cap.19.*
[3] *Optatus contra Parminianum. li. 6.*
[4] *Aug.ad Casalanũ, Epistola 96. Ambros.in Psal.Cypria.Epist.li. 2. epist.3.*
[5] *Basil.Mag. in exhort.ad baptis.*
[6] *Chrysost.homil.in dictum Pauli, Nolo uos ignorare &c.*
[7] *Isych. li.7.cap.24.*
[8] *August.contra Cresc.li.4.cap. 19.*
[9] *August.in Ioan.tract.50.*
[1] *Cyprianus de cœna Domi.& Chrysost.in Matt.homil.51.*
[2] *Euthy.in 26.cap. Matth. Theodoretus dialog.2.Theophylact.in 1. Cor.11.*
[3] *Basil. Mag.de bap.cap. ultimo. Item in missa qua utuntur Aethiopes.*
[4] *Iustinus in Apolog.2.*
[5] *Origenes homil.9.in Leuit.*
[6] *Chrysost.homil.27.in 1.Cor.10.Idẽ homil. 83.in Matth.*
[7] *Theophylact.in 1.Cor.cap.11.*
[8] *Ambrosius de officiis.li.2.cap.28.*
[9] *Chrysost.in Matth.homil.83.*
[1] *Euthy.in Matth.cap.26.*
[2] *Chrysost.ad Neoph.*
[3] *Grego.in Iob.lib.13.ca. 11. Item Leo Mag. sermone.4.de quadrag.*
[4] *August.contra aduersa.legis & prophet.li.2.ca.9. Idem ad Ianuarium Epist.118.Chrysost. ad Neoph.Idẽ homil. 11. ad populum Antioch. Grego. homil.22.B. Leo. Mag. ser.4. de quadrag.Idem in sermo.6. de ieiunio septimi mẽsis.Isychius.li 6.ca.22.in Leuit. Idẽ li.7.ca.26.Beda.homil.intra octauas Epiphaniæ.&c.*

nem, est enim [5] sanguis Christi proprius: [6] sanguis Christi propriè est, qui in poculo, & [7] cruor proprius, [8] sanguis uiuus, [9] sanguis redemptoris, [1] sanguis unigeniti, [2] sanguis omnipotentis uerbi, [3] sanguis qui pro nobis oblatus est, [4] sanguis qui populi delicta remittit, [5] sanguis qui de latere Christi manauit, [6] sanguis quē Iudas uēdidit, [7] sanguis de quo cum Pharisæis pactū fecit, [8] sanguis ille sacratissimus qui ex latere Christi fluxit, [9] sanguis quem Iudæi sęuientes fuderunt, [1] sanguis carnis, [2] sanguis Dei, [3] sanguis uerbi, [4] sanguis quo emit Ecclesiam, [5] sanguis qui plebem redemit, [6] redēptionisq; nostræ precium, demùm [7] est sanguis qui effusus est in remissionem peccatorum: [8] ipse enim est in cratêre in tuam purificationem, ex immaculato latere haustus, [9] quique occiso eius corpore, exiliit.

MERITO itaque est [1] cœna Christi propria, [2] cœna Domini mystica, utpotè, in qua est [3] uerum paschæ sacramentum, [4] pascha Euāgelicum, [5] pascha uerum, [6] ueritatis pascha, [7] perfectum, & [8] minimè figuratum.

[5] Chrysost. ad pop. Antioch. homil. 60. & iterum iterumque repetit.
[6] Theophylact. in 14. cap. D. Marci.
[7] Iuuencus presbyter in car.
[8] Chrysost. homil. 7. in Matth.
[9] Gregor. homil. 22.
[1] Cabas. cap. 47.
[2] Cyrillus contra Nestorium.
[3] Ambros. in Epist. 1. ad Cor. ca. 11. ad id, Mortē Domini annun.
[4] Iuuencus presbyter in car.
[5] Aug. contra Faustum, li. 12. cap. 20.
[6] Chrysosto. de proditione Iudæ.
[7] Idem Chrysost. ibidem.
[8] Chrysost. in 1. Cor. cap. 10. homil. 24.
[9] Arnobius in Psal. 80. hoc ipsum repetit.
[1] Orig. homil 2. in Iesu Naue, et in Leuit. homil. 9.
[2] Ioan. Damasc. li. 4. cap. 14.
[3] Orig. homil. 2. in Iesu Naue. Idem in Leuit. homil. 9. & Aug. in Psal. 45. idem in sermone de tempore. 74.
[4] Chrysost. in 6. cap. Ioannis, homil. 45.
[5] Ambro. de sacramentis li. 4. cap. 5.
[6] Grego. in Iob. li. 13. cap. 11.
[7] Hiero in. 9. cap. Zachariæ. & Euthymius in 26. cap. Matth.
[8] Chrysost. homil. in Enceniis.
[9] Nico. Cabas. cap. 27.

COENA. PASCHA.

[1] Isychius lib 6. in Leuit. cap. 22.
[2] Chrysost. homil. 11. ad pop. Antioch.
[3] Hiero. in Matth. cap. 26.
[4] Nico. Cabas. cap. 29. & Isych. lib. 6. cap. 22. in Leuit.
[5] Isychius in Leuit. li. 6. cap. 27. et Euthym. in Matth. cap. 26.
[6] Chrysost. de proditione Iudæ.
[7] Enthymius in 26. cap. Matth.
[8] Vide Isy. li. 6. in Leuit. ca. 22. & ca. 23. Item Euthy. in 26. Matth.

quod post umbratile apposuit.

EST [9] benedictio, quæ totũ hominem in se trahit, quæ totũ hominem sua gratia replet, [1] qua non solùm per fidem & charitatem Christus in nobis est, sed etiam corporaliter, & participatione naturali in nobis habitat, [2] qua Iesum [3] Christum, angelorum, archangelorum, cælorúmque [4] dominum, qua ipsum filium Dei, & (ut alîus uerbo utar) [5] qua unigenitũ Dei filium suscipimus, [6] eodémque Dei filio participamus.

VNDE & participatio dicitur, tum quia [7] per ipsam, Christo Iesu concorporati sumus, eius, inquam, carne & diuinitate participes facti, tum quia per eam membra inuicem efficimur: est [8] communicatio corporis Christi, est [9] participatio Dominicæ passionis, est [1] sanctæ communionis mysterium, [2] altaris communio, cõmunio deifica: communionem dixi non rei cuiuscũque, aut gratiæ, [3] sed ipsius Domini, sed [4] salutaris Christi corporis, est [5] gratia salutaris & ipsa sanctitas. aduerte quòd non dixerim sanctum, sed sanctitatem, quæ accipientem quidem sanctificat: id quod nullus

BENEDICTIO.

[9] *Cyrill. super Ioan. li. 4. cap. 14.*

[1] *Cyrillus in Ioan. li. 10. ca. 13. Hilarius li. 8. de Trinitate. Chrysost. homil. 83. in Matth.*

[2] *Cyrillus in Ioan. li. 4. ca: 14. Ambros. in Psal. 118. Ioan. Damasc. lib. 4. cap. 14. Theophyl. in 6. cap. Ioan.*

[3] *Cyprianus in oratione Domi. Chrysost. in 1. Cor. 10. homil. 24. Idem in Epist. ad Ephes. cap. 1. homil. 3. Ambros. in 1. Cor. 11. Idem in psal. 118. Haimo in 1. Cor. 11. Rupertus. in Exod. 12.*

[4] *Cyprianus ser. 5. de Lapsis. Aug. super Ioan. tract. 59. Chrysost. in 1. Cor. 10. homil. 24. Cyrill. in Ioan li. 4. cap. 14.*

[5] *Chrysost. homil. 25. in 1. Cor. 10.*

[6] *Ambros. in Epist. ad Hebr. ca. 10.*

PARTICIPATIO, seu COMMVNIO.

[7] *Ioannes Damasc. li. 4. ca. 14.*

[8] *1. Cor. 10.*

[9] *Beda in Lucam li. 6. ca. 22.*

[1] *Beda in hist. ca. 27.*

[2] *Chrysost. in Matt. homil. 16. et Dionys. in Ecc. Hierar. ca. 2.*

[3] *Theophylact. in 1. Cor. ca. 10.*

[4] *Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 50.*

[5] *Cyprianus sermone 5. de Lapsis.*

nullus alius panis, quamuis sanctus, quãuis per uerbum Dei & orationẽ sanctificatus, poterit efficere, nisi solus iste, quem per manum sacerdotis de mensa accipimus, quem non solùm sanctum & sanctificatum, sed ipsam, ut iam dixi, [6] sanctificationem patres appellant.

[6] Hiero. li. 2. contra Iouinianum.

ADHAEC quod hîc offertur, inquiũt, & [7] suscipitur, [8] nõ imago aut figura sacrificij, sed ipsum sacrificiũ est, & quidem [9] sancti sanctorum, siquidem [1] pro brutorũ cæde Christus, non ait, se obtulit, quod & uerum est, sed se offerendum præcepit, nempe [2] incruentam sacrificij ueritatem celebrari. [3] quod hîc comedimus, sacrificium est corporis Christi, [4] sacrificium quo alimur, [5] hoc sacrificium cibus est spiritualis, [6] sacrificiũ mediatoris, [7] horrore ac reuerentia plenissimum, [8] sacrificium salutare ad redemptionẽ animæ & corporis æternam ualens, [9] sacrificium uictimę salutaris, [1] sacrificiũ Ecclesiæ, corpus [2] Domini quod offertur, sacrificium incruentum, uiuificum, [3] uerissimũ, singulare secundum ordinem Melchisedech, [5] cæleste, [6] quod horrent

SACRIFICIVM.

[7] Chrysost. homil. 11. ad pop. Ant. Idẽ in Epistola ad Hebr. ca. 10. homil. 17. Beda homil. in feria. 4. Dominicæ Passionis. Isychius li. 1. in Leuit. ca. 2.
[8] Nico. Cabas de uenerando altaris sacrificio, cap. 32.
[9] Isychius in Leuit. li. 6. ca. 22.
[1] Chrysost. in 1. Cor. cap. 10.
[2] Ex Concil. Ephesino.
[3] Hiero. li. 3 aduersus Pelag. Isychius in Leuit. li. 1. cap. 2.
[4] Aug. in Ioan. tract. 108.
[5] Chrysost. de prod. Iudæ.
[6] Aug. in Enchirid. cap. 100.
[7] Chrysost. li. 5. de Sacerdotio, et passim.
[8] Beda in historia gentis Anglorum li. 4. cap. 22.
[9] Beda in histor. li. 4. cap. 28. & li. 5. ca. 11.
[1] August. contra aduersar. legis & prophe. ca. 18.
[2] Cyrillus in interpretat. Canonis. 11.
[3] Aug. de spirit. & litera cap. 11.
[4] August. cõtra aduer. legis & proph. cap. 20. Idem de ciuitate Dei li. 17. ca. 17. &c.
[5] Chrysost. in Psal. 95.
Chrysost. homil. 61. ad pop. Antioch.

angeli,[7] ſacrificium tremẽdum,[8] terribile, [9] ſumméque uenerandum, [1] eſt precium noſtrum, [2] ſacrificium precij noſtri, [3] quod impietates & iniquitates mundi gratis purgauit, [4] ſacrificium incruentum,[5] per quod Chriſto unimur, [6] ſacrificium altaris, quod (ut Eccleſiæ mos obtinuit) non in ſerico, neque in panno tincto, ſed in lino terreno celebratur. [7] Perpes eſt hoc (ſiue iuge) ſacrificiũ, ſemper permanens holocauſtum, [8] ſacrificiũ ſuper altare poſitum, [9] ſacrificium quod Chriſtus eſt,[1] ſacrificium quo ſe offert patri, & dona hęc, quando ipſe facta fuerint, quando in eius corpus & ſanguinem cõuerſa, & mutata,[2] quod quidem ſacrificium (ut ille ait) fit agno, non tunc occiſo, ſed pane mutato in agnum occiſum.

ETENIM qui hîc[3] comeditur,[4] & immolatur, eſt[5] agnus Dominicus, [6] agnus immaculatus, [7] agnus Dei qui tollit peccata mũdi:[8] ille, inquã, ſuper altare eſt, & nobis in conſpectu adiacet, [9] qui pro omnibus paſſus eſt,[1] quẽ ſuper altare ueneramur, [2] quem iacentem (nimirum in altari) &

[7] Chryſoſt. homil. 69. ad pop. Idem homil. 1. ad Philippenſes.
[8] Chryſoſt. de prodit. Iudæ.
[9] Chryſoſt. in Pſal. 95.
[1] Auguſt. in Pſal. 48. Idem Epiſt. 162. & 163.
[2] Auguſt. lib. 9. confeß. cap. 12.
[3] Nico. Cabaſ. cap. 24.
[4] Cyrillus in interpret. Anath. 11. Grego. Nazian. in car.
[5] Grego. Nazian. in Iulianum imperatorem oratione prima.
[6] Beda ſuper 15. ca. D. Marci.
*Vel hinc uideas quàm uanum ſit, quod de ſola gratiarum actione cõminiſcũtur.
[7] Cyprianus de cœna Domini.
[8] Chryſoſt. in Epiſt. 2. Cor. ca. 9. homil. 20.
[9] Cyprianus li. 1. Epiſt. 2.
[1] Nico. Cabaſ. de ueneranda altaris ſacrificio, ca. 49.

[2] Cabaſ. ca. 33.

AGNVS.

[3] Cyprianus de cœna Domini.
[4] Chryſoſt. homil. in Enceniis.
[5] Chryſoſt homil. 3. 1. ca. ad Epheſ.
[6] Anonymus in paßione S. Andreæ. quã hiſtoriã aſſerere uidetur Cyprianus de duplici martyrio. Hiero. aduerſ. Ioui. li. 1. & S. Remigius in Pſal. 21.
[7] Ex Concil. Niceno.
[8] Theoph. in 1. Cor. 11.
[9] Ambroſ. in Epiſt. 85. li. 10. de inuentione Geruaſii, & Proth.
[1] Grego. Nazianz. in Epitaphio Gorgoniæ ſororis.
[2] Chryſoſt. homil. 41. in 1. Cor. cap. 15. Idem homil. 41. in Matth.

& peccata mundi tollentem deprecamur: [3] unde, id est, ab hoc nostro altari uisibili, ministratur uerissima Christi caro, [4] pignus futuræ gloriæ, [5] pignus salutis æternæ, & spes resurrectionis accipitur, [6] uictima sancta dispensatur, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, [7] qua triumphatus est hostis noster intelligibilis diabolus, quáque [8] ab æterno interitu anima, [9] & corpus nonnunquam à periculis liberatur.

[3] Rabanus de cor. & sang. D. ca. 20.
[4] In cantu Ecclesiæ.
[5] Optatus contra Parm. li. 6.
[6] August. lib. 9. confess. cap. 13.
[7] Isychius li. 7. ca. 24.
[8] Grego. li. 4. Dialogorum, cap. 58.
[9] Beda in histor. li. 4. cap. 22.

HOSTIA.

EST [1] NOVI TESTAMENTI, [2] sanctíq; altaris noua oblatio, [3] mysterium fidei, [4] mysterium reconciliationis nostræ, [5] oblatio quæ reconciliauit nos Deo, [6] hostia redemptoris, hostia salutaris, [7] hostiæ salutaris oblatio, [8] sacri altaris hostia, hostia placationis, [9] hostia mundans, [1] hostia passionis Domini, [2] hostia integra, & perfecta, magna hostia, & [3] sacræ oblationis uictima, [4] quæ pro mundo mactata est, supra mensam cernitur.

[1] Irenæus li. 4. cap. 32.
[2] August. ad Paulinum Epist. 59.
[3] In Canone.
[4] Aug. de Eccl. Dog. ca. 75.
[5] Isychius lib. 6. cap. 23. in Leuit.
[6] Grego. in Iob. li. 35. ca. 6.
[7] Beda li. 4. ca. 22. in hist. sua.
[8] Grego. homil. 37. in Euang. Idem. 1. Regum, lib. 2. cap. 1.
[9] Chrysost. in Epist. ad Heb. cap. 10. homil. 17.
[1] Grego. homil. 37.
[2] Nico. Cabas ca. 27.
[3] Beda. in histor. li. 3. cap. 2.
[4] Cabas. cap. 27.

MEDICINA.

EST [5] medicina spiritualis, [6] quotidiana, [7] medicamentũ, simul & holōcaustum ad sanandas infirmitates

[5] Chrysost. homil. 3. in Epist. ad Ephe. cap. 1. Aug. de uerbis Domi. secundum Lucam, sermone 28.
[6] Ambros. in 1. Cor. 11.
[7] Cyprianus de cœna Domini.

& iniquitates purgandas.

CONVIVIVM.

PORRO [8] dulcis Ecclesiæ u ox est, ô sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, [9] conuiuium cęleste, [1] æterni testamenti mysterium, [2] mysteriũ Dominicum, quod [3] quantum ueritatis (inquiunt) quantúmque dignitatis habeat, hoc ipso ostẽditur, quòd maximo cum timore & amore ad id accedimus.

MENSA.

SIQVIDEM EST [4] mensa plena horroris, [5] mensa terribilis, [6] mensa in qua ipse rex cælorum adest, [7] mẽsa unigeniti, [8] mẽsa proprij corporis Domini, [9] mensa miraculosa, [1] mensa diuina, [2] mensa sacratissima, per quam & saluat, & docet, [3] mensa cælestibus ac spiritualibus epulis instructa, [4] mensa quæ interius & exterius (nimirum tam in carne, quàm in conscientia) sanctificat, [5] mensa spiritalis, quam qui mali sunt, aut adhuc à fide alieni, percipere nõ debent, [6] mensa, & bonis & malis una, [7] mensa ubi non inuenitur cibus hominum, sed panis ponitur angelorũ, [8] mẽsa in qua non terrenę dapes, aut uiles escæ, sed [9] corpus & sanguis Christi ponuntur. [1] mensa in qua ipse

[8] Eccle. cantio.
[9] Ambro. in Psal. 118. ad id, Media nocte &c.
[1] Isychius li. 7. cap. 24. in Leuit.
[2] Isych. li. 7. in Leuit. cap. 25.
[3] Basil. Mag. in regulis contractioribus 172.

[4] Chrysost. homil. 83. in Matth.
[5] Chrysost. de proditione Iudæ.
[6] Chrysost. homil. 3. ad Ephes. ca. 1. idẽ in homil. de Philogonio.
[7] Isych. in Leuit. li. 7. cap. 24.
[8] Oecumenius in 1. Cor. 11.
[9] In missa qua utũntur Aethiopes.
[1] Chrysost. homil. 83. in Matth.
[2] Chrysost. homil. in Matth. 83.
[3] Beda in Lucã lib. 6. ca. 22. & Chrysost. homil. ad Neophytos.
[4] Cyprianus de cœna Domini idipsum repetit, & Rabanus de corpo. & sang. Domini. cap 57.
[5] Isych. li. 6. in Leuit. ca. 22.

[6] Aug. contra Lit. Petill. li. 2. cap. 47. Item Hiero. contra Ioui. li. 2.
[7] Augustinus sermone secundo de tempore.
[8] Beda. in Lucam. li. 6. ca. 22.
[9] Aug. tract. 47. in Ioan. & Chrysost. homil de Philogonio.
[1] Hiero. quæst. 2. ad Hedibiam.

ſe conuiua eſt, & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur, [2] fiduciæ uinculum, uis animæ, nerui mẽtis, ſpes, ſalus, lux. quid multis? eſt [3] menſa nihil mendacij habens, mẽſa munda, pariter & mundans, [4] mẽſa immortalis, uiuens, [5] uita noſtra. At hîc dies recenſendo me deficeret. Quid uis amplius? [6] ſeipſum immolatum, ſeipſum tibi manducandum præbet pius Dominus, hoc eſt: illam ipſam carnem & illum ſanguinem, [7] per quæ nobis coniunctus eſt, hîc rurſum nobis exhibet. Quamobrẽ, ut uno uerbo multa cõplectar, [8] hæc uenerandiſſima atq; ineffabilia myſteria [9] uitam in ſe habent & largiuntur. Hæc [1] diuina ſecreta (Euchariſtiam dico) omnium, intra ſe, myſteriorum ſummam, omnem [2] benignitatis Dei theſaurum continent, aperiúntque. unde, & [3] hoc illibatũ, & [4] fidelibus notum altaris, & [5] precij noſtri ſacramentum, [6] ſpirituale, [7] cæleſte, & uenerabile, iure optimo, omnium ſacramentorum finis, [8] conſummatio ac perfectio & ſit, & appelletur. Audis homines in fide catholica eruditos & erudiẽtes,

[2] *Chryſoſt. in 1. Cor. cap. 10. homil. 25.*

[3] *Iſychius in Leuit. lib. 7. cap. 24.*

[4] *Chryſoſt. in 1. Cor. cap. 10. homil. 25.*
[5] *Auguſt. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 1. cap. 24. Idem ſermone 1. de tempore.*

[6] *Chryſoſt in pſal. 33. Idem in Matth. cap. 26. Idem ad populum Antiochenum, homil. 60.*

[7] *Chryſoſt. in cap. 6. Ioan. homil. 45.*

[8] *Dionyſius in Eccl. Hierarch. cap. 3.*

[9] *Theophylactus in 1. Cor. 11.*

[1] *Cyprianus de cœna Domini.*

[2] *Chryſoſt. in 1. Cor. cap. 10. homil. 24.*

[3] *Bernardus in pſal. 90.*

[4] *Auguſt. lib. 10. cap. 6. de ciuitate Dei.*
[5] *Auguſt lib. confeſſ nono. cap. 13.*
[6] *Cyprianus lib. 2. epiſt. 3.*
[7] *Ambroſius lib. 6. examer cap. 9. Auguſt. de uerbis Domini in Lucam, ſermone 28. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. & c.*
[8] *Dionyſius in Eccleſ. Hierarch. cap. 1.*

audis fidem, quam de tremendo altaris ſacramento,
[9] ſacrificióque admirabili ex Domini uerbis fideliter
hauſerunt, audacter rurſus, & expreſſis uerbis eandẽ
mundo profitentes: Denique audis, quibus elogiis
ſacrum hunc cibum, [1] formidandúmque ſacrificiũ
exornant, ut planè frons ſit nimis dura, & pluſquàm
meretricia, quæ non erubeſcat reclamare. Quòd ſi in
uerbis porro recenſendis (quæ apud prædictos patres
paſsim reperias) quibus receptam à Catholicis rerũ
mutationem præterea exprimunt, immorarer (cu-
iuſmodi eſt, quod ualde aſſeueranter dictitant, non
hoc eſſe, ſeu manere quod natura formauit, panis &
uini creaturas omnipotentia Dei, nunc mutari, cõ-
mutari, tranſmutari, nunc uerò eaſdem tranſelemen-
tari, tranſponi, transformari, uerti item, ac conuerti,
nonnunquam etiam tranſire, deſinere, & iam nihil
aliud, quàm corpus & ſanguinem Domini eſſe, fierí-
que.) uox mihi, quã uerba, imò tempus, ut dixi, citius
deficeret. Cęterùm ſi plura deſideras, hanc bibliothe-
cam ingredere quoties libet: libera enim erit facultas
tibi cum ipſis ad ſatietatem uſque colloqui, & illi li-
benter ſuas operas communicant. Interim ſatis ſit,
quid illi ſentiant, ex meo ſermone utcũque didiciſſe.
Hac enim lege huc per nos ad alia properantes intro-
miſſus es, ut procul & ſummatim intueare, unde aliàs
tibi magnum atque ingentem aceruum propria le-
ctione facilè conficias. NEOPH. Tametſi iſtorum
colloquio nihil prius, poſt Deum habeam, tamen
quia ita uis, libens obtempero. ORTHO. Iſtis igitur
(ut

[9] Chryſoſt. in 1. Cor. ca. 10. homil. 24.

[1] Idem, ibidẽ.

Epilogus.

(ut ſummatim dicam)paucis circunſtãtiis,quas prædiximus, ritè perpenſis, adhibito manifeſto Dei uerbo,ponderata ſanctorum patrum (quos iam intuitus es)authoritate,inſuper Dei omnipotentia, qua,cuncta quæ uult, poſſit humiliter ante oculos poſita,demum agnitis iam glorificati corporis Chriſti dotibus, quas Paulus attigit, & Dominus partim in ſuo corpore etiamnum mortali, partim immortalitate donato, ſi non clarè oſtendit, certè ad intelligendum allicit, dum in mõte transfiguratus,claritatem, à reſurrectione ſic crebrò apparens,agilitatem, atque ad diſcipulos clauſis ianuis intrans,cũ impaſſibilitate ſubtilitatẽ demõſtrauit. His,inquã, omnib⁹,ut oportet,conſtitutis,& cum iudicio diligenter animaduerſis,miramur ſi adhuc ſit,qui ueram dominici corporis in Euchariſtia præſentiam neget. NEOPH. Nemo hactenus tam effrons uſquam extitit (quod equidem ſciam) qui præſentiam diffiteri uelit: de præſentia nemo dubitat,ſed qualis illa præſentia ſit, hæc contentio, hic ſcrupus eſt. ORTH. Hæc eſt prima techna, qua,dum uerbis præſentiam affirmare uideãtur, ſimplices capiunt,miſeréque ſeducunt. Interueniat itaq; ueritas Chriſtus Ieſus, Deus & homo. Loquatur, audiatur,quia non mentitur: & quia uariis modis cum Eccleſia præſens eſſe dicitur, explicet ille nobis hanc, de qua contendimus, præſentiam, ponat ille ſententiam, tollat ſcrupum, & ceſſet lis. Iam humiliter audiamus,& credamus. NEOPH. Auſculto libens. ORTHO. Hoc eſt (inquit Dominus)corpus meum,

Dotes glorificati corporis.

quod pro uobis tradetur, hic est sanguis meus, qui pro uobis effundetur. Ecce, qui est ipsissima ueritas, iam sonuit, & palam affirmat, non uirtutis, non gratiæ, non potestatis duntaxat, nõ qualemcunque præsentiam, aut gratiæ uim, sed corporalem, & essentialẽ ueri corporis, & sanguinis sui, ueram præsentiã adesse protestatur. Hoc ueritas dixit, hoc Euangelistæ clamitant, hoc Apostolus personat, hoc series scripturæ docet, hoc patres declarãt, hoc deniq; Ecclesia ubiq; tenet. Quod si uel rei credẽdæ difficultas, quæ nõnullos torquet, uel rationis probabilitas, quã multi causantur, quicquã ualeat, mihi magis (ut ingenuè dicã) stupendũ, creditúq; longè difficilius uidetur, si Christũ in terris mortalẽ adhuc & ignotũ, & corã ambulantem quispiam demõstrans, dixisset, Ecce, qui ambulat coram te, Deus est, & non homo solùm, quàm post tanta, támque grauia testimonia cælitus ostẽsa, nunc tandem in hoc diffidere dicenti, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Et profectò qui huic acquiescere pertinaciter recusat, periculum est, ne breui alterum palam contemnat. Quod autem ad uerisimilitudinem spectat, an nõ impius ille Arrius longè ex scripturis uerisimilius rationes contexuit, quàm isti, qui hanc corporis gratiam, uirtutémque solam, nunc tandem mundo obtrudere nituntur? Vnde etiam consequens esse uidetur, quum Dei filius ueniens in Virginem, patrem non dimiserit, quòd non ipse uenit, sed tantùm uirtus. Sic enim angelus affatur Mariã, Virtus altissimi obumbrabit tibi. Et Paulus,

lus,uocatis,Christum,Dei patris uirtutem, ac sapientiam,prædicat. Virtus ergo patris nata est, uirtus passa est,uirtus resurrexit,imago,sapientia, splendor,figura substantiæ patris uenit,non Deus ipse.In similitudine enim hominũ factus est, & habitu inuentus, ut homo.Et Ioannes expresse testatur, quòd uiderint eum quasi unigenitum à patre. O,quantas tragœdias excitassent,si istiusmodi à Domino, quasi quod imaginem corporis referret,uspiam positum inuenirent? Et quod sequitur:plenum gratia,& ueritate,de beata Virgine & multis iustis dici potest.adde,quod de ipso ait Euãgelista, Crescebat,& confortabatur,plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo. Sed procul hinc facessat huiusmodi insania,quæ tamen multo probabilius(ut dixi)licet impiè,colligi posset, quàm istorũ potentia, aut uirtus, qua contra apertum Dei uerbũ, ipsius corporis præsentiam auferre sedulò moliuntur.Sed ueritatis columna stat,nec dogmatum uarietate constuprata, nec hæresibus scissa, quæ uerbum sponsi sui, uerbum magni Põtificis Iesu Christi,uerbum æterni principij, spondentis esse corpus suum, & sanguinem suum,quàm clarissimè nunquam non tenet,repetit,& opponit cunctis reluctãtibus,ac contra omnes spirituales astutias in cælestibus. Cui quidem Ecclesiæ, Portæ inferi non præualebunt, sicut ille promisit.fundata est enim supra firmam petram. Quocirca, hîc fide tantùm, & insigni, ac columbina simplicitate opus est, ne, uel ingeniorum præsidiis, ui argumentorum rapti, uel sensus nostri iudi- Ecclesia.

cio, probabilitate decepti, innitamur, ſed omnipotentiæ uerbi Dei, quod neminem unquam fefellit, fidem adhibeamus, illíque firmiter inhæreamus. Atque hic huius aſſertionis, & primi uoluminis terminus ſit, ubi reſpiremus paululum, ut ad ea, quæ ſequuntur, utriuſque intentio, alio magis renouetur exordio.

Primi libri finis.

CATHOLICAE CONFVTATIONIS IMPIAE CVIVSdam Determinationis D. Nicolai Ridlæi, eo tempore ſedem Epiſcopalem apud Roffam occupantis, poſt diſputationem de Euchariſtia in Academia Cantabrigienſi, habitæ, Liber ſecundus.

Authore Albano Langdailo Archidiacono Ciceſtrienſi apud Anglos.

INTERLOCVTORES.

ORTHODOXVS. NEOPHYTVS.

IAm tempus eſt, ut introſpiciamus, quam uim habeant illa ſua (quæ uocant) fundamenta, quibus ſublatis, totum ædificium ruat neceſſe eſt. NEOPH. At iam ruit, niſi ego multum fallor: neque opus fuerit plura addere. Nam ſi uerum eſt, ut tu ex ſcripturarum ſerie luculenter demonſtraſti, quòd Chriſtus uerum corpus & ſanguinem diſcipulis dederit,

præceperítque donec ipſe conſpicuus ueniret, hoc ipſum fieri, quid amplius quærimus? Quid adhuc nos ipſos, ſcripturas, atque Orthodoxos patres, periculoſa, & Deo ingrata curioſitate contorquemus? Vtcunque intelligantur reliquæ ſcripturæ, certè non pugnant. Itaque mihi ſatis eſt, niſi tu aliter uis. ORT. Etſi uerum ſit quod dicis, tamen quia ſemel ingreſſi ſumus, & quia otium & aura huc inuitant, denique ut te, quem fide inſtruendum ſuſcepimus, contra hoſtes undique muniamus, progrediamur.

Primum firmamentum excutitur.

HIC primùm, ueluti baſin totius cauſæ, ſententiam Chriſti iaciunt, qua, ille peracta cœna, ut Matthæus ait, ita proteſtatur: Non bibam amodò de hoc genimine uitis, uſque in diem illum, quum illud bibam uobiſcũ nouum in regno patris mei. Hoc eſt præcipuum, & ferè unicum firmamentum, quo ruinoſum illud ædificium fulcire moliuntur. NEOPH. Præſertim ſi (quod fecit) interpretationem Chryſoſtomi eidem adiunxeris, quam ita manifeſtam uolunt, ut ſtatim perlecta, uel reluctantes in ſuam ſententiam pertrahat. ORTHO. Illud poſt expendamus, hoc nunc dicant, ſi nihil pro illorum cauſa apertius hoc teſtimonio proferri poteſt. quid doctam Hedibiam apud Hieronymum mouit iſtius intelligentiam quærere? Quid eruditum Eucherium Epiſcopum Lugdunẽſem in quæſtionibus difficilioribus ponere coegit? mitto quàm hîc ſudarunt interpretes reliqui. Vnde nemini obſcurum eſſe poſſit, huius orationis ſentẽtiam admodũ latere: quæ autem lucida ſunt in ſcripturis

pturis ſanctis,præiudicium ab obſcuris locis (ut quidam rectiſſimè dixit) pati non debent. Habemus in lucido poſitum, Hoc eſt corpus meum: huic diei medio,intempeſta,alterius orationis,nocte,tenebrarum uim inferre non licet. Cæterùm, omiſſis allegoriis, quibus pulchrè ac elegãter hoc in loco utuntur ſacri interpretes,dicamus ſimpliciter, quòd ſicut typicũ agni eſum,ſic etiam potum paſchæ typicum, negat ſe ultrà guſtaturum: uel,illud rectè dici poteſt, ſecundum normam & regulam ſcripturæ, quòd res, iuxta eam naturam,non quam nũc habent, ſed quã prius habuerunt,nonnunquam appellare ſoleat. Peruulgatum eſt illud Adæ mulierem iam formatam alloquẽtis,Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. Et illud Exodi, Deuorauit uirga Moyſi uirgas eorũ, cùm nõ uirga,ſed coluber reuera eſſet.& homo,puluis, terra, lutum ſæpè uocatur, & Chriſtus ipſe in Euangelio, Ite,inquit:renunciate Ioanni,quia cæci uident,claudi ambulant,leproſi mundantur. Item,Meretrices,& peccatores præcedent uos in regno Dei: hoc eſt, non qui iam ſunt claudi,aut cæci, aut leproſi, nõ qui iam ſunt meretrices,uel peccatores,ſed qui fuerũt. Et ſæpè etiam eadem ſcriptura appellat res nominibus, quibus in forma aſſimulantur: ut,Ioannes uidiſſe ſe ait ſpiritum ſanctum,cùm non ipſum ſpiritum,qui ſua natura eſt inuiſibilis,ſed ſpeciem columbæ, ut Lucas exponit,uiderit. Et mulieres uiderunt angelũ, quem iuuenem appellat ſcriptura, in qua etiam angeli dicuntur ſæpenumerò uiri,non quòd fuerint,ſed quòd

Arnobius in Pſal.91.

Smaragdus.

formam duntaxat humanam præ se ferrẽt. Porrò autem Dauid de se,uel potius de Christo ita loquitur, Ego sum uermis, & nõ homo,quum substantialiter esset homo, sola uerò similitudine uermis: uel denique priori suo nomine adhuc eas appellamus, quòd similem effectum producant.Cum igitur multæ res, propter quadruplicem hanc causam, rectè aliarum rerum longè diuersarum uoculis nuncupãtur, quãto magis sacramenta nostra propter unamquamque
1. harum causarum rectè sic appellamus? Vocatur itaq;
2. uinum,uel quia ex uino conficitur,uel quia formam
3. uini etiamnum retineat, uel quia similitudine quadam,generationem uitis referat, habeátque inditas
4. adhuc qualitates,uel,ut semel dicam,ab effectu,ut sicut uinũ materiale lætificat cor hominis, & alit uentrem, sic spirituale, mirabili quadam lætitia sumẽtes afficit,& impinguat mẽtem.quæ similiter de pane dici possunt. Et hæc quidem simplici & minimè contentioso homini satis abundè facerent.Sed quando cum repugnãte nobis res est, age uideamus, num hoc ipsum etiam cogat scripturæ circunstantia. ubi conuenit meminisse, Matthęum & Marcum leuiter attingere uetus pascha,& ueluti sicco pede pertransire,non operęprecium fore putantes diutius morari, festinãt ad nouum. Lucas autem, qui post eos, ut historiæ tradunt, Euangeliũ suum conscripsit,utrumq; accuratius distinxit: & quod illi subobscurè, hoc iste apertius alicubi posuit. Age ergo,ipsius S. Lucæ uerba ex te iam audiamus. NEOPH. Cũ facta esset ho-

ra,

ra, discubuit, & duodecim apostoli cum eo, & ait illis. Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscum antequam patiar. Dico enim uobis, quia ex hoc, non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. & accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter uos, Dico enim uobis, quòd non bibam de generatione uitis, donec regnum Dei ueniat. ORTH. Et hæc quidem de legali cœna hactenus: perge nunc, & quæ de tremendo noui testamenti mysterio subdit, recita. NEOPH. Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis dicens, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. similiter & calicem postquam cœnauit, dicẽs. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo qui pro uobis fundetur. ORTH. Iam utriusque cœnæ descriptionem reddidisti: tametsi illud, per anticipationem dici, quibusdam magis placet. Illic autem scrupus est, quod Euangelista Matthæus à cœna Domini, hanc sententiã apponit, Nõ bibam de hoc genimine uitis: unde effici uolũt, uinum etiam tum fuisse, quod Christus dedit, perinde ac fuit illud, quod in typica agni cœna inter eos diuidi iusserat. NEOPH. Argumentum sanè, meo iudicio, non omninò ineptũ. ORTH. Sed Euangelistarum consensus nullo modo hoc permittit. Nam S. Lucas refert, seruatorem dixisse eandem sententiam, non de poculo eucharistico, sed legali, quod, uel intuenti, in aperto est. Cum igitur S. Lucas testetur, Christum in cœna agni paschalis dixisse, Nõ

bibã de generatione uitis, cúmq; Matthæus (quod etiam illi uolunt) affirmet Christum bibisse postea, nempè, cum suum corpus & sanguinem suis discipulis porrigebat(subiecit enim, Non bibam posthac de hoc genimine uitis) fit, ut iam nõ sit uitis, seu naturalis uitis fructus, quem tum bibebat, & de quo Matthęus loquitur, sed uerus sanguis, licet eodẽ nomine secundum scripturæ morem appelletur: alioqui mẽdax Christus. quod absit. Si enim in cœna, qua agnum iuxta legem obtulit, comedítque, palam testetur, quod Lucas affirmat, se non bibiturum de generatione uitis, donec regnũ Dei ueniat, & si postea, cùm instituit nouæ legis nouum testamentum, bibit, ut Matthæus ait, liquet profectò, non fuisse uinum quod tum bibebat, sed aliud, nempè sanguinẽ sub forma uini: id quod scriptura, si animaduertas, palàm ostẽdit. Quapropter non segniter prætereunda sunt uerba Euangelistarum. Sanctus enim Lucas de ueteri sacramẽto sic refert saluatorem dixisse, Nõ bibam de genimine uitis, absolutè: Matthęus autem ut, quod in nouo bibebat, plurimum differre, diuersumque esse ostendat, aliter loquutum attestatur: sic nimirum, Non bibã de hoc genimine uitis: est enim hoc genimen, seu generatio, non cuiuslibet uitis, sed ueræ: illius, inquã, ut Origenes interpretatur, quæ dicit, Ego sum uitis uera· & est potio, nõ cuiuslibet, sed uuæ illius, quæ, ut idẽ ait, missa in torcular passionis protulit potum hũc. Et proinde hoc uerbo significauit longè aliud fuisse, quàm quod in cœna legali de-

derat,

derat,nempè,ut dixi, ſuum ſanguinem, quem ipſe, ut Hieronymus ait,nobiſcum bibit in regno Eccleſiæ.qui idcirco,quòd priorem formam retinet, priori nomine etiamnum uocatur. Et huic ſententiæ, tantum abeſt,ut repugnet,ut etiã ſuffragetur S. Marcus. ſic enim in uulgata Eccleſiæ editione uniformiter ſcriptũ inuenimus: Non bibã de hoc genimine uitis. Sin aliũ fortè contextũ, qui (hoc) pronomine careat, contra cõfirmatam ab Eccleſia tranſlationem cõtentioſè quiſpiam allegauerit,id,uel more ſcripturarum (quẽ dixi) prolatũ,uel,per hyſterologiã (quò undiq; illi ſatisfiat) dictum, commodè interpretari licebit. Cuius quidem rei inſigne exemplum apud eundem hoc ipſo in loco reperies: ubi ſi literę ordinem ſequeris,diſcipulos poculum ſanguinis bibiſſe ante conſecrationem neceſſariò fatebere. Adhæc, cum S.Lucas, ut iam audiſti, poculorum meminit, & ſemel quidem dicit, Accipite, & diuidite inter uos: quod ad uetus teſtamentum pertinet: & iterum, poſt cæleſtem illum panem, quem Dominus apoſtolis diſtribuit: libenter ab iſtis percontarer, quódnam diſcrimen ponant, aut (ſiue unum fuerit poculum,ut quibuſdam placet, ſiue duo, quod plurimis) quid cauſæ fuit increatæ ſapientiæ, ut mutaret? Si enim nihil amplius habet hoc myſterium præter figuram corporis & ſanguinis, ut in lege, quorſum id iteratur in facto, quod totum præfiguratum erat in agno? uerè non poteſt parua cauſa eſſe, ut quod ille olim in uerbo præceperat, iam aboleret. *Digreſsio.*

Si de ſimplici re ſermo ſit, utrobique (ſi illis credimus) panis azymus, utrobique uinum eſt. mitto agnum, quem præterea habebant, qui egregiè ſanè illis, præ noſtro, Chriſtum repræſentabat: illic umbratica quædam memoria carnis Chriſti crucifixæ, & hic ſimiliter figuram eſſe & ſymbolum, obnixè contendunt. NEOPH. Verùm, ſed non tantum ſymbolum. nam hoc illi nullo modo ferunt. Non, inquiunt, ſolum ſacramentum edimus, ſed & gratiã inuiſibilem cum ſignis uiſibilibus, & damus & accipimus. Et ideo noſtra præcellere uolunt, quod hæc tametſi figura, tamen præterita renunciat: apud ueteres perinde figura, ſed quæ futura ſignificabat. Quanto igitur, aiunt, certius quod factum eſt, quàm quod futurum, tanto ſymbola Chriſtianorum ueteribus, ſolidiora rectè dicuntur: atque in hoc diſcrimen eſſe tantum. ORTHO. Nihil dicis, etſi ſcholã iſtam teneas. Si enim non uerè, corpus Chriſti, ſed umbraticè adeſt nobis in Eucharistia, & tantum memoriam eius crucifixæ carnis agimus, nónne nouum ſacramentum, figura tantùm, ſicut uetus, erit? Atque hîc dum præterita futuris certiora contendunt, ſeipſos produnt Dei uerbis diffidere, cui æquè præſentia ſunt omnia, & quod ad rem attinet, æquè certa. Deinde comparatio quam de futuris ad præterita faciunt, ipſos planè oppugnat. Nam quæ antiqua ſunt & tempore durarunt, ſi bona, iure, propter antiquitatem, magis ueneranda: & ea iam facta, quiuis homo facilè denunciat: futura

autem

autem prædicere, non nisi diuini muneris existit: quanto igitur diuinius hoc quàm illud, tanto præstantiora eorum symbola quàm nostra, si nihil sit aliud in nostris, quàm in illorum fuit. Neque causam istorum iuuat, quod de gratia dicis. Nam quęso te, an non etiam iuxta eosdem, eadem gratia, quam nos hîc haurimus, in agno & manna dabatur? An nõ ipsi, cum illis qui Christum præcesserunt, pares nos faciunt, in hoc spiritualis gratię effectu, dũ nunquam non inclamant illud apostoli, Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt? Quæ sententia (ut obiter illud agam) clarissimè per comparationem dicta est, ut quãuis omnes in nube & mari baptizati fuerint, quamuis Moyses, Aaron, & Phinees eundem cibum comederint, quem Core, Dathan, & Abiron: quamuis, dico, omnes, omnes, inquã, illi, tam boni, quàm mali, eandem omninò escam, cõmanducauerint, tamen non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam ex illis ipsis (quos eadẽ nube protexit, eiusdem maris traiectione liberauit, eadem denique esca nutriuit) ceciderunt (ait apostolus) una die uiginti tria millia. Sed quid ad nos? respondet. Hęc in figura facta sunt nostri. & rursus, Hęc omnia in figura cõtingebãt illis: scripta sunt autem ad correptionẽ nostram, ut quãuis nos, quotquot Christiani nomine cẽsemur, unum, eundémq; spiritũ consequuti, uno eodémq; pane nutriti sumus, tamen nisi uita baptismo respondeat, ut eiusdem spiritus ductum sequamur, nisi illo

cælesti pane dignè & cũ fructu (quoties ad eum accedimus) uescamur, frustra Deus hæc sua beneficia nobis impertiisse uidebitur: ut quæ sine digno usu nihil proderũt.atq; hunc sensum ipse nobis cõtextus gignit, ut hîc diutius insistere nõ sit opus. NEO. Sed præter uberiorem spiritus gratiam, quam aiunt nos, præ ueteribus, in nostris sacramentis haurire,etiam illud afferunt,quòd scilicet uerba longè clariora, ac dilucidiora habeamus,quàm ueteris testamenti patres.Et quò uerbum,inquiunt,est euidentius,eò magis excitatur fides,eò uehemẽtius animus mouetur, alioqui iuxta eos penitus eadem. ORT. Hoc, quid solidi habeat, etiã uide. In omnibus sacramẽtis sunt uerba,& res quædam: & quia uerba propter rem significandã constituendámq; instituũtur, fit ut uerba rebus cedant,résque uerbis sit potior,utpote finis.Sed quis tam est insensilis, & omnium affectuũ tam inexpertus Christianus,cui, si daretur agnum sine macula intueri,è cætero grege apprehensum, ductum, occisum, & recenti sanguine undique consperſum, non magis præmoueretur ad recolendũ agnũ illum, qui,sacro cruore effuso,sustulit peccatum mundi, q̃ uel audiens uerba,quãlibet planissima,uel aspectans, uel etiam manducans panẽ, aut uinum bibẽs? Nihil enim uehemẽtius,nihil fortius, mortis dominicę repręsentationẽ, adeóq; totã historiã passionis animis imprimeret,quàm illiusmodi aspectus? Quòd si huc comestio quicquã affert momẽti, & Iudæi oblatũ agnũ mãducabãt.Iam quod ad uerba spectat, si quidẽ nihil,

nihil, præter gratiam, in nostris symbolis adest, inueniuntur nulla in parte clariora. Nam illic Moyses aspergẽs populũ, dixit, Hic est sanguis fœderis, quod pepigit uobiscum Dominus. Quod autem de copiosiori gratia dicunt, exquirant illi apud se, num uel Abraamo, uel Moyse, uel Dauide, aut cæteris (quos nominare licet plurimos) sanctiores sint, & deinde de ista gratiæ plenitudine glorientur. Cùm igitur neque in re, quæ subest, neque in ratione sacramenti, ut illos interim suis armis confodiamus, siquidem agnus, & ueteris testamenti sacrificia, longè præstantiora erant ad nutriendum, quàm tantillum panis & uini uix ad degustandum: cùm, inquam, neque re, neque ratione sacramenti, aut uentris saturitate, nec sacramentali repræsentatione, neque uerbo, aut porrò effectu spiritualis gratiæ, noui testamẽti poculum, uel sacramentum, ueteri, iuxta eos, præpolleat, quid causæ esse possit, cur uel hoc tolli, uel alterum superordinari, uel quare hoc, quàm illud magis noui testamenti dici debeat, non uideo, cùm in utroque inuenias (ut illi prædicant) quod est in altero. Cæterum de sacramentorum discrimine legis & Euangelij, sermo nobis institutus nõ est: quòd huius rei determinatio nõ meminit, neque in illa disputatione (quantũ audio) in quæstionem uenit: tum etiam quòd complures uiri sancti, hoc ipsum partim obiter in suis scriptis, partim de industria, contra istos, adamussim tractarunt, tamẽ quia eò incidimus, & tua oratio nos huc pertraxisse uideatur, unum, eúmque præclarum magni Basilij

Epilogus.

locum apponere libet. Qui contra ſui temporis hæreticos, eandem D. Pauli ſententiam, unde iſti peregrinum dogma ſuum (aranearum inſtar) exugunt, tractans, inter cætera ait. Quid igitur? num quia per figurã in Moyſe baptizati ſumus, ideo protinus exigua eſt gratia baptiſmatis? Ad iſtam rationem, nec aliud quicquã in noſtris ſacramentis fuerit magnũ, ſi, quod in ſingulis magnificum eſt, cum figuris conferamus. Ac ne Dei quidem erga homines charitas quicquam erit magni, aut eximij, qui filium unigenitum dedit pro peccatis noſtris: quandoquidem & Abraham filio ſuo non pepercit. Nec Chriſti mors erit glorioſa, quòd aries loco Iſaac, uictimæ figuram expleuit: neque deſcenſus Chriſti ad inferos erit horribilis, quòd Ionas tribus diebus ac totidem noctibus, mortis figuram prius expleuit. Idem ergo facit & de baptiſmate, qui ueritatem umbræ comparans, cũque figuris conferens ea, quæ figuris ſignificãtur, uniuerſam pariter Euangelicam diſpenſationem eleuare aggreditur. Nam quæ peccatorum remiſſio, quæ uitæ renouatio in mari, quod donum ſpirituale datũ eſt per Moyſem? quæ illic peccati mortificatio? Non illi Chriſto cõmortui ſunt, eóque, nec cum illo reſuſcitati ſunt. Non portabant imaginem illius cæleſtis, non mortificationem in corpore circunferebant, non exuerant ueterem hominem cum factis ſuis, non induerãt nouum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem illius qui condidit. Quid igitur cõfers lauacra cum lauacris, quæ ſolam nominis appellationem

Baſil. Mag. de ſpiritu ſancto cap. 14.

lationem habent communem, rerum uerò tanta est differentia, quanta est inter somnia, & ueritatem, inter umbras imaginésque, & inter ea quæ reuera sunt. & paucis interpositis: Cur igitur gloriam nostræ spei, ac diuitias Dei, & seruatoris nostri, qui gratis per regenerationem renouat, uelut aquilæ iuuentutem nostram contemptibilem reddere conamini, ex umbris & figuris ueritatem calumniantes? hæc ille. In quo primum audis magnum quippiam nostris sacramentis, prę illis, inesse: audis in mari illo, uel peccati remissionem, uel renouationem, non fuisse, sed neque mortificationem: audis ueteres illos ueterem hominem nequaquam exuisse, aut induisse nouum: audis tantum nomen, seu appellationem sacramentorum communem, rerum uerò tantam esse differẽtiam, quanta est inter somnia & ueritatẽ, inter imagines & res. Porrò audis, quòd quisquis hæc componere, aut paria facere conetur, is eadem opera uniuersæ pariter Euangelicę dispensationis gratiam minuere, & contemptibilem reddere satagit.

Atqui, ut demus ante aduentũ Christi piis illis ueteribus ueram fuisse gratiam, ueram iustificationem, ueram cum Deo amiçitiam, attamen ad gradum illũ amicitiæ, ut digni essent regni cælorum ingressu, & conspectu Dei non pertingebant (ut rectè à Basilio dicatur) quòd non sunt illis remissa peccata, prorsus uidelicet, & in totum: aut remissa quidem certitudine spei magis quàm rei, aut deniq;, quo morte Christi plenè remitterentur, tolerata, & (ut Pauli uerbo Rom.3.

utar) ſuſtentata. Adhuc enim, Ambroſio interprete, pij illi in inferno (quem recentiores lymbum patrũ appellant) tenebantur, quoaduſque fieret plena compenſatio, effuſione ſacroſancti ſanguinis, & per mortem agni immaculati Chriſti Ieſu. Hinc primùm remiſſio, hinc hactenus clauſæ cælorum portæ, tũ primùm apertæ ſunt, ut ſit primitiæ dormiẽtium Chriſtus, illuc ante omnes iter pandẽs: fuit quippe fructus ſanguinis eius, uniuerſalis redemptio totius humani generis. Ipſe eſt enim propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris tantùm, ſed etiam totius mũdi. Ex quibus uideas, quantum ſit ſacramentorum ueteris & nouę legis diſcrimen ſententia Baſilij, qui tantæ inter Gręcos authoritatis fertur extitiſſe, ut eius uel ſermoni, uel ſcriptis nemo ferè unquam in aliquo contradicere auſus fuerit. NEOPH. Huius męę orationis, quę te huc, ſiue adduxit, ſiue (ut uerè dicis) adegit, haud pœnitebit unquam. Et quanquam hunc ſcripturę locum, cui iam incumbimus, piè admodũ, & luculenter explicueris, unus tamen prę cęteris exiſtit, de cuius interpretatione ſeriò triumphant, cuius & tu prius meminiſti. ORTHO. Chryſoſtomum dicis opinor. NEOPH. Illum ipſum. ORTHO. De eius explicatione mox iam utri ſuffragetur uir ille, uideamus. Enarrans uerba cœnę, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: Quomodo, inquit, turbati non fuerunt, quum hoc audiſſent? Reſpõdet: quia multa iã & magna, de hoc antea diſſeruit. Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis uerbis

Chryſoſt.

illis

illis dicerent: quid igitur ſanguinem bibimus, aut carnem comedimus, ac ideò perturbarentur? Nam & quando prius de iis uerba fecit, multi ſolummodo propter uerba ſcandalum paſſi ſunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipſe hoc fecit, ut tranquillo animo ad communicationem myſteriorum induceret. hæc ille. Hinc arrepta occaſione ex huius cœnæ myſterio, Marcionem & cæteros hæreticos reprehendit: id quod prior fecit Tertullianus, de quo poſtea nobis ſermo incidet. Interim uerba, quæ fluũt ex aureo illo ore, animaduerte: Quomodo, inquit, turbati non fuerint, nempe cùm audirent Chriſtũ dicẽtem, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus? Et profectò nihil mirum, ſi ad hanc uocem obſtupeſcerent: nam uox eſt, non dico rara, ſed mortaliũ auribus hactenus planè inaudita, quam Euangelica ſchola primùm in lucem produxit. Adde quòd natura crudele & inhumanum uideatur, humana carne homines ueſci. Quid quòd contra legem penitus fuerat humanum ſanguinem bibere, quod tamen Euangelium præcipit, & proinde quia hæc res, magnam in ſe admirationem habebat, ne illi reniterentur, aut dictis fidem non haberent, bifariã (ut ex Chryſoſtomo habes) ſeruator occurrit. Primũ, quòd multa iam, & magna de hoc, anteà diſſeruit: de hoc, inquit, corpore ſcilicet manducando, de hac re, ſeu de hoc ſacramento. NEOPH. Vbi quæſo tam multa & magna? Non enim occultari poſſunt ſi ſcribuntur. ORTHO. Ne noſtris coniecturis innitamur, ipſe ex-

Cyprianus de cœna Domini.

plicet nobis: Quando, inquit, prius de iis uerba fecit, multi solummodo propter uerba, scandalum passi sunt. Hoc de Capharnaïtis dictũ, quis ambigat? apud quos, ea multa & magna, Ioãnis sexto, loquitur Christus. Ad hæc, ne turbarentur audientes, ipse (inquit) prius manducat, ipse prius bibit: ne perturbarentur, inquam, ne resilirent, ne dicerent, ad quid sanguinẽ humanum bibimus? ad quid humanam carnem edimus? Ne tales cogitationes in corda ascenderent, ipse manducando, & bibendo præuenit, præmonuit, comedit. NEOPH. Quorsum ista? ORTHO. Mane: si ad illam præparationem, quam antea ex scripturis dixi, hæc Chrysostomi superaddas, quibus ille affirmat, Christum pręparauisse animos eorum, ferè nihil pro ueritate corporis & sanguinis Domini efficacius dici usquã inuenies. Nam, precor te, cur turbarentur apostoli? cur obsisterẽt? cur nõ sine ulla admiratione mãducarent panem, quẽ Christus dedit, si figura, si sacramentum, si imago illius corporis fuisset, non ipsum corpus? Sed ipse inquit multa, & magna de hoc prius dixerat, ipse, ne aduersarentur, comedit, & bibit: ipse denique, ut idem ait, miraculo illo quinque panum (quod eò pręmisit apud Ioannem) ne essent amplius increduli, eos pręmuniuit: siquidem pertractans illã Iudaicam quęstionem, quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum: si hoc inquiris, inquit, cur non idem in quinque panum miraculo dixisti? quomodo eos in tãtum auxit? Respõdet, quia tunc tantum saturari curabant, non considerare miraculum.

Chrysost. homil. in Ioan. 45.

raculum.Sed res ipſa docuit,inquies:ergo ex eo,& hîc credere oportuit ei facilia factu eſſe . Propterea id prius fecit miraculum,ut per illud nõ eſſent amplius increduli, de iis quæ poſtmodum diceret. hactenus Chryſoſtomi uerba recenſuimus . Ex quo uides hoc eſſe maius miraculũ,dare corpus ſuum,&ſanguinem manducandum,bibendũ,quàm hordeaceos illos panes,& duos piſces multiplicaſſe:& proinde prius illud miraculum operatur, ut ueluti manu duceret ad hæc maiora. Bibit igitur Chriſtus ſuũ ſanguinẽ prius, ut ille ait.ubi quæſo,niſi in cœna?unde liquet? Certè nõ niſi ex hoc Euãgelij loco.& proinde non de uino,ſed de ſanguine ſuo Chriſtus dixit, Amodò non bibã de hoc genimine uitis. Siue igitur hoc modo,ſiue alio quocũque, hunc locũ rectè intellexerimus,illud perſpicuum eſt,& plus quã euidens,quòd cõtra nos, qui corporis & ſanguinis ueritatem hîc aſtruimus, nihil habet, imò quãmaximè noſtram ſententiam confirmat.NEOPH.Bis hîc,ni fallor,percutit Sacramẽtarios Chryſoſtomus:primùm,quòd ait,Chriſtum manducaſſe corpus, & ſanguinem ſuum bibiſſe, quæ nullo modo propter cauſas iam redditas,figuræ ſunt. Deinde, quòd refert ſextum caput Ioannis ad ſacramentũ Euchariſtię.ORTH.Rectè animaduertiſti.Iam ad explicationem ueniamus,qua ait,fructum uitis,nõ niſi uinum producere: quibus uerbis ſuã ſententiã cõfirmari uolunt.Operępretium eſt ſcire,quid agat Chryſoſtomus eo in loco,& quò uerba eius referãtur. Perſtringit ibi hæreticos quoſdam, primũ eos qui puta-

runt Christũ indutum corpore phantastico,non autẽ uero,quos hac ratione euertit, quòd post resurrectionem edebat cum discipulis, & bibebat, ueri corporis uerissimum argumentũ.Iam ut Aquarios cõfundat, subdit, Cuius rei gratia nõ aquã, sed uinũ post resurrectionẽ bibit? Respondet: Perniciosam quandã hæresim radicitus euellere uoluit,eorũ qui aqua in mysteriis utuntur,ita ut ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit,uinũ tradidit. Et iam post resurrectionẽ in nuda mysterij mẽsa uino usus est, Ex genimine, ait,uitis:quæ certè uinũ,non aquã producit. Habes iam integrum Chrysostomũ, quem uides cũ hæreticis pugnantem, quod in sacramento conficiẽdo,non uino,sed sola aqua usi sunt. Istos reprehendit Domini exemplo, qui uinũ post resurrectionem in mensa (quæ sacri istius mysterij expers, & nuda fuit) bibit,& quando mysterium tradidit,uinum tradidit: quod rectissimè colligit ex ipsius Christi uerbis, Amodò non bibã de hoc genimine uitis:quæ certè uinum, nõ aquã producit.Nequaquã dicit aureũ illud os,quòd in hoc noui testamenti mysterio uinũ bibimus.Sed quid?quando inquit,hoc mysteriũ tradidit, uinũ tradidit: certè uinũ tradidit,quo conficerẽt hoc sacramẽtũ. nõ hoc,inquã,agit Chrysostomus,ut cõtẽdat uinũ esse, quod nos in sacramẽto sumimus: sed illud magis uinũ fuisse,& necessariò,debere sacramẽtum hoc, confici nullo modo in aqua,sed in uino. Vt enim uerba illa Christi,Hoc est corpus meum,hic est sanguis meus,non à quocunque,sed ab idoneo tantũ

mini-

ministro debitè,ac ut oportet, prolata efficiunt quod quæritur. Nam (ut ille ait) quid tam magnificũ, quã sacramẽta diuina cõficere? Et quid tam perniciosum, quã si ea is conficiat, qui nullũ sacerdotij gradum accepit, ita nisi habeat materiã aptam, & conuenientẽ, non panem ex hordeo, aut alio quocũque genere, sed ex frumento: rursum non potũ ex sicera, aut lacte, seu aqua, aut melle, sed ex uite, nihil omninò agit, & suo frustratus desiderio fallitur. Hic scopus est, ad quẽ in Chrysostomi uerbis respicere oportet. Torquent os illi, & faciunt non aurea, sed plumbea uerba resonare, qui aliud ex eo uenantur. Absit, absit, hoc malum de tãto uiro credere, aut docere. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, ut Augustinus ait, atque optimi regulę Catholicę defensores, salua fidei compage, non consonant: & alius alio de una re melius aliquid dicit & uerius. Hoc autẽ unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta: quisquis in Christiana religione & fide uult labefactare quod scriptum est, (hoc est corpus meum, hic est sanguis meus) totum quod in Christo credimus, auferre molitur. Nã uerè dixit ille, Qui in uno discredit, in nullo credit. Ergo Chrysostomum, tanquã sui dogmatis patronum, posthac ne ascifcant, ut qui catholicam ubique fidem, & maximè his uerbis, professus est. quod in calice est (inquit) illud est quod ex latere fluxit Christi, sanguis nimirũ preciosus, ut Theophylactus addit. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Ioãnes. sic enim in ipsa hac homilia scribit:

Arnobius in psal. 139. Isych. lib. 2. ca. 8 in Leuit. Concil. Nice. cap. 14.

Augu. contra Iulianum.

Chrysost. in 1. Cor. 10.

Non ſunt humanæ uirtutis, hæc opera quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui uerò ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt. Et paulò pòſt, ſic alloquitur huius ſacramenti diſpenſatorem, Quòd ſi ipſe pellere non audes, mihi dicas: non permittam iſta fieri, animam potius tradam meam, quàm dominicum alicui corpus indignè, ſanguinémque meum effundi potius patiar, quàm ſacratiſſimum illum ſanguinem præterquàm digno concedam. Quis credat illum uelle potius uitã amittere, quàm fruſtulũ panis, peccatori indigno tradere? Aut cui hoc credibile eſſe poteſt, quòd ſineret potius ſanguinem ſuum effundi, quã paululum uini impio tradi? Quum aliàs nihil magis hoc uno doceat, quã nõ eſſe hominum uitã ſcrutandam, dũ panem aut cætera illis neceſſaria largiamur. Ita malui ex iſta ipſa homilia, quã aliis (quæ plurimę ſunt) quæ mens illi fuerit, demonſtrare. NEOPH. Video quàm inuitè antiſtitem illum trahunt ad ſe, ueluti obtorto collo: uideo cuius fuerit ſententiæ, ut fruſtra de Chryſoſtomi interpretatione gloriẽtur. ORTH. Supereſt unº adhuc, quem non poſſum præterire, ſed ægrè adducitur. NEOPH. Cur ita? ORTHO. Quia nuper, ut audio, è ſchola noſtra exploſus eſt. NEO. Teneo, ſed cur uobis negant facultatem producendi teſtes de ſecundo millenario pro fide Euchariſtiæ, cùm illi contra fidẽ hactenus ab Eccleſia receptam, hanc ſibi uolunt uſurpare licentiam? ORTH. Certè ut dicis, humanitatis

foret

foret indicium, in quo tibi ueniam præbes, indulgere cæteris. NEOPH. At habent ij tamen ſolidas rationes, ut audio, quamobrem recentiores explodãt, tum quia contra hanc doctrinam, quam hauſtam uolunt ab ipſo Apoſtolorum tempore, apertius ſcribãt, tum etiam ob id potiſſimum, quòd (ut aiunt) poſterior Eccleſia à ſolida doctrina & pietate nonnihil deflexerit. ORTHO. Atqui idcirco nihil ponderis habebit iſtorum reiectio, ſi propterea reiiciũt, quòd in eos ſcribant. Mitto ſcholaſticos: cur D. Gregorium, cur Damaſcenum, cur Theophylactum, Bedam, Remigium, Iſidorum, Bernardum, & reliquos huius ætatis & farinæ ſanctos homines repudiant? Repudiant autem, uel quia impij, uel quia indocti. Verumenimuerò, neque doctrinam, neque pietatem in illis deſideres, qui non alienam, ſed Catholicam Chriſti fidem ſemper amplexi ſunt. Quamobrem magnum uulnus cauſæ ſuæ infligunt, dum tales negant: quin, ſi iuſta, ſi uera cauſa eſt, ueros, & iuſtos non excipiat. utcunque Eccleſia in uita & moribus degenerarit, fit ne hoc cuiquam Chriſtiano ueriſimile, ut à millenario, quem iſti ſtatuunt, imò non iſti, ſed famoſus ille Vuickliffus, ne glorientur, ut ſponſa Chriſti, tandiu adhæſerit adulterinis amplexibus? Vbi ergo ſpõſi fides? ubi promiſſio? An ut ſynagogæ olim, ita & nunc Eccleſiæ libellum repudij dederit? An non curæ eſt illi etiamnum? Moueat te potius, quòd Paulus ait, Eccleſiam columnam & ſtabilimentum ueritatis: moueat, quod ex Auguſtino de catechizan-

Hierem. 3.
Eſaiæ. 50.

dis rudibus nuper docui, præferendam, uidelicet uniuersalis Ecclesiæ, authoritatem, quam qui non habet matrem, Deum patrem habere non potest.

NEOPHY. Memini. Et illi similiter Ecclesiæ filij, & dici & haberi uolunt. Atque idcirco ad patres prouocant, quos habent, ut illi aiunt, suæ sententiæ strenuos defensores. ORTHODO. Fateor. Etiam angelus tenebrarum, quò simplices decipiat, angelum lucis nonnunquam mentitur. Tu quidem, dum mentionem ueterum facis, reuocas mihi in memoriam, quod de Pelagianis nuper legi. Illi enim, quæ Apostolus ad Romanos scripserat, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ante Augustinum affirmabant: & cum exigerent ab eo, ut hanc suam sententiam de gratia Dei, sententiis patrum confirmaret, sic inter alia respondet: Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione uersari: quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. unde factum est, ut de gratia Dei, quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent: immorarentur uerò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque uirtutes, quibus Deo uiuo & uero, pro adipiscenda uita æterna, & uera fœlicitate cernitur. Hæc Augustinus. Ex quo intelligimus, quàm imprudenter à nobis uerbum transsubstantiationis deposcant in patrum opusculis ostendi,

August. de prædest. sanctorum, lib. 1. cap. 14.

qui

qui priusquam ista Sacramẽtariorum hæresis oriretur, scripserunt. Vnde factum est, ut de hoc mysterio, quid sentirent, breuiter, ut ille ait, quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent. Neque minus ineptè faciunt, dum rem cum uocabulo negant, quia id in sacris Bibliis non reperiatur. Similiter enim, ut olim Arrius coram Probo iudice, contra Athanasium arguere uidentur: unum, inquit, è duobus, in hac causa sequi necesse est, si uera est omousij assertio, falsa est Apostolorum prædicatio, quæ sine hoc nomine longo tempore floruit: Si uerò Apostolica fides huius nominis expers uera est, sicuti est, hæc sine dubio falsa erit, quæ antiquæ fidei, nominis nouitatem adiecit. Reuolue cuncta noui & ueteris testamenti uolumina, utrum omousion alicubi sacris inditum paginis, poteris inuenire? Hæc Arrius. NEOPHY. Videor mihi uidere, ueluti in speculo nostri temporis artificium, rectius, astutiam: similiter enim per omnia rationes connectunt. sed quid Athanasius ad hæc? ORTHO. Ecclesiasticæ, inquit, semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominũ uocabula immutare, & significantium rerum naturas exprimere. Quod pluribus exemplis illic commonstrat: ex quibus est, Ecclesiam contra Sabellium statuisse, patrem impassibilem: & contra Photinum, Deum filium dicẽdum, Deum de Deo, lumen de lumine: item cõtra Eunomium, simi-

Athanas. in disput. primi diei contra Arrium.

lem patri filium. quæ omnia(ut uerè ait) non ſcripta reperiuntur. Multa enim in ſcripturis latebant, & fortaſſe adhuc latent, quæ Deus ſuo tempore reuelabit. Nunquid enim (ut Auguſtini uerbis dicam) perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Arriani? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Nouatiani? Sic(inquit) nõ perfectè de baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti rebaptizatores. Nec de ipſa unitate Chriſti enucleatè dicta ſunt, quæ dicta ſunt, niſi poſtquã ſeparatio illa urgere cœpit fratres infirmos. hæc ille. Atqui uerò, nemo Chriſtianus ideo putat non rectè creditum, quia tunc perfectè de iis nõ fuit tractatum. Quidni igitur in ſacratiſſima ſynaxi, adorando, & inſcrutabili Dei myſterio, ita ſe res habeat? ut poſtquam exiſterent, qui Eccleſiam agitarent, ea, ne perirent infirmi, ſolicitati quæſtionibus impiorũ, obſcura legis in publicum deduceret, & tenebras, quę hominum oculos tenebant, intromiſſa luce, diſpelleret? Quid quod etiam eundem Auguſtinum, contra Pelagianos tam multa ſcribentem, penè effugerat ratio illa ſecreta Pelagij: Si Adę peccatum non peccantibus nocuit, ergo Chriſti iuſtitia non credentibus profuit: quam fateor, inquit, in illis tam longis uoluminibus meis non refelli, quia in mentem mihi omninò non uenerat, quenquam poſſe talia cogitare, uel dicere. Et proinde mirũ non eſt, ſi hæc de Euchariſtia quæſtio effugerit manus eius: imò quî poterat in mentem illi uenire, hoc trãſſubſtantiationis nomẽ,

Aug. in pſal. 54.

uel

uel cæteris patribus,quando post lōga tempora, propter introductas à Beringario, & illius sectę hominibus,figuras,hæc quæstio cœperat agitari ? Si ergo primitiuæ Ecclesiæ,ex scriptis in sacris literis non scripta componere fas est,quid ni, & huius temporis Ecclesiæ(quæ non nisi una est) quam Dominus audire, iubet,idem facere licebit?Non igitur quenquam deterrere potest,aut debet uerbi nouitas, seu insolētia,maximè quum rem ipsam,quæ tali nomine exprimitur, non modò ueram,sed etiam ueterem fuisse appareat. cū enim Christus substantiam panis,& uini accipiēs, dixerit, hoc est corpus meū, hic est sanguis meus, ex iisdem uerbis non remanere panis, & uini substātias (quod Ecclesia transsubstantiationē appellat)clarissimè cōstat,quū omnes(nisi qui cōmuni rerū iudicio subuersi sunt) uideant fieri omnino nō posse , ut duo aliqua in natura diuersa, sint etiā natura simul eadē. Sed longius sumus digressi,quā par fuit: reuertamur ergo.NEOPH. Mihi quidē adhuc huius causę septa, haudquaquā transilire uideris. Nam & hoc in primis conuulsum oportuit.sed quis est ille unus, quem superesse,quémq; ægrè huc adduci aiebas?ORTH.Bene mones,tametsi meminerā:Erasmus est,neutiquā profectò hac in re contemnendus,quē nec ipsi solent aliàs contemnere. Nunc quum contra eos audet hiscere, astutus,ac uafer est,& homo,qui nouit uti foro.NEO. Quid is?ORTHO. Non erubescit transsubstantiationis nomen cum re affirmare,&eam non à scholasticis inuentā,sed ab Ecclesia definitā apertè asserit. Neq; ei

ſatis erat, illud ſemel dixiſſe, ſed addit inſuper, uelut authoritatē (quam hodie negant) Eccleſiæ deferēs, & ait, ubi rem propius contemplata eſt, ubi exactius expendit, certius præſcripſit. NEOPH. Haud leue tanti uiri teſtimonium. ORTH. Qui in aliis, ſi non Eccleſiæ, certè in Eccleſia ſeuerus cenſor fuit, qui etiā Principes, Epiſcopos, omnes deniq; liberrimè audet reprehendere. NEOPH. Verū: ſed fama eſt tamen, hominē ad Principū procerúmq; Eccleſiæ gratiā fauorémq; plurima ſcripſiſſe. ORTH. Non hîc inſtitui apologiā, quā ab illo petas: illud tamē, quia memoriæ occurrit, quod ipſe in detectione præſtigiarū cuiuſdā libelli, in quo affingūt Eraſmū, idē cū Luthero de Euchariſtia ſentire, huic reſpondit, bona fide dicā. Nec cauſari, inquit, poteſt ſalaria metúſq; principū (quanquā & hoc inſigne mendaciū eſt, cū ego, hoc nomine, ſalarium ab ullo principe nec ambiam nec accipiam) ſiquidē hæc mihi ſcripta ſunt, rebus adhuc tranquillis, quum nemo ſuſpicaretur exoriturum tam effrontem, qui Vuickcliffi ſententiam auderet reuocare. Sed quòd ad noſtrum inſtitutum ſpectat, is oculatior, ut noſti, hunc locum Euangelij, Non bibam de hoc genimine uitis, excuſſit in Paraphraſi, excuſſit in Annotationibus, denique in libello quem dixi: & tamen negat ſe inueniſſe, uel in Euangelicis, uel apoſtolicis literis uinum dici. Sed quoniam illis ita uiſum eſt, appendat ille, nō probet, ſitq; uelut auctarium, aut nullius ponderis, ſi placet, quanquā poſſem huius ſentētiæ plures adducere. At nūc potiſſimū cōtra iſtos, qui ex hoc loco

In Annotationibus ſuper 7. cap. 1. Cor.

co ſcripturę(non bibā &c.) & Chryſoſtomi interpretatione, contendunt, uinum fuiſſe, quod Chriſtus tum dedit apoſtolis, dicendū nobis fuit. Neque dubitamus, quin ſi ea, quæ partim ex ſcripturis, partim ex ipſo Chryſoſtomo hactenus diſſeruimus, æqua lance penſitare uelint, haudquaquam ſuffragari illis ſcripturam uiderent. Viderent, quàm non iuuat illorum cauſſam aurea illa lingua, ſed quòd, cùm ex hoc loco, tum reliquis penè infinitis noſtram ſententiam quammaximè confirmet. & hæc quidem hactenus. iam properemus ad reliqua. Hîc pro magno argumento ducit ſcholaſtica Determinatio: primū quòd Chriſtus accepit panem, benedixit panem, fregit panem, &, ut illa ait, diſtribuit panem: deinde quod D. Lucas in Actis panē uocat, & Paulus: poſtremò, quòd uterque fractionem atteſtatur. Hinc neceſſariò uult concludere, ſubſtantiam panis manere, & eſſe reuera triticeum panem, quem in hoc ſacramento ſumimus, & non corpus Chriſti, quod nullo modo frangitur. Nam os, inquit, non comminuetis ex eo: quæ quantum habent ſolidę ueritatis, mox apparebit. Panem accepiſſe & nos fatemur: ſed rurſum dediſſe illū ipſum panem diſcipulis, id profectò pernegamus. Nō enim ait, Accipite, hic eſt panis: ſed porrecta manu, Accipite, inquit, hoc (nunc) eſt corpus meum. Argumentum ſanè nequaquam inefficax, hactenus fuiſſe panem, quod nunc non eſt. Eſſet quidem utcunque aliqua contradicendi ratio, ſi non ipſe ita hanc rem declararet, ut non poſſit magis: præuidit

enim quãtas pro corpore ſuo tragœdias Diabolus in mundo excitaret, & propterea qualisnam ſit panis ille, manifeſtis uerbis explicuit, dicens: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. quaſi diceret: nõ eſt triticeus panis, quem ego ad manducandũ uobis porrigo: imò alius nõ eſt, quàm ipſa caro mea, quã pro ſalute, tam ueſtri, quàm totius humani generis, in ſacrificiũ boni odoris ſponte offeram patri. Si uerò panem, quem Dominus accepit, ſic apoſtolis dediſſet, ut acceperat, rectè quis diceret, nõ eſſe corpus Chriſti: ſed non fefellit ſuos pius Dominus. Aut quaſi nõ ſoleat ſcriptura, multa, quę ſubſtantiam mutarunt propter priorẽ nomenclaturam ita adhuc appellare? An non legis aquam uinum dici, cùm tamẽ aqua non eſſet, ſed uinum uerum, & ſi hunc nodũ etiam antea abundè ſoluimus. NEOPH. Memini. ORTH. Aut quæ eſt huius conſequentiæ ratio? uocatur panis, ergo panis eſt? quis tyro uel mediocriter in Theologia uerſatus, ignorat panis uocabulum multiplex eſſe? Chriſtus ſeipſum panem appellat, & non propterea triticeus eſt. Et ſcriptura uerbum Dei panẽ uocat, non tamen ex frumenti granis conficitur: panis dicebatur & manna, ſed non eiuſmodi, quo nos quotidie ueſcimur: proinde haudquaquam ſatis attendere Chriſti uerbis, & reliquæ ſcripturæ uidentur, qui ſic colligunt. Præterea à ad huius ſententiæ ſuæ confirmationẽ, citantur uerba Lucæ: Erant perſeuerantes in doctrina apoſtolorum & communicatione fractionis panis. & apud Paulum,

1. 2. 3.

Panis

Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? uterque, inquit, fractionē testatur: quod est peculiare, & panis proprium, corporis autē Christi nullo modo. Quod ad prioris loci intelligētiam spectat, illud quærendum, quos sequātur: si ueteres? at ij non referunt ad Eucharistiam, aut certè dubitant: si recentiores? quin illos iamdudū (ut audio) reiecerunt. Cum pasceret Dominus turbam in deserto, accepit panes in manus, gratias egit, & fregit, deditque discipulis, sed nō idcirco corpus erat quod dedit, sed panis communis. Hunc morem & apostoli imitati sunt, non tamen semper consecrarunt corpus Domini. Sequitur enim in hoc ipso capite, Frangentes circa domos panem, sumebāt cibum cū exultatione: tametsi interpretes ambigant etiam de hoc loco. Nihil autē prohibet in distributione panis non cōsecrati in corpus Domini, esse symbolum aliquod concordiæ Christianæ, & commemorationem mortis Christi. Id quod Augustinus perspicuè cōmonstrat: graphicè enim depingit uir ille, quā uaria sit panis sanctificatio. Quod accipiūt, inquit, catechumeni, quāuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi, quibus alimur, quoniā sacramentum est uerū: & ipsos cibos, quibus ad necessitatem sustentandæ uitæ huius alimur, sanctificari idē apostolus dixit, per uerbū Dei & orationē, qua oramus, utique, nostra corpuscula refecturi. Sicut autē ista ciborum sanctificatio non efficit, ut quod in os intrauerit, non in uentrē uadat, & in secessum emit-

Vide glo. interli. & Erasf. in detectione.

Act. 2.

Aug de pecc. merit. & remiss. li. 1. ca. 26.

tatur per corruptionem, qua omnia terrena soluuntur, unde ad aliam escam, quæ non corrumpitur, Dominus nos exhortatur. Ita sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei ualet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorum remissionem. Hactenus Augustinum audis. Ex quo, quod uolumus, cõfit, fuisse in Ecclesia panem sanctum, in corpus Domini minimè consecratum, qui sumentibus memoriam Dominicæ passionis suggerebat, de quo hic locus poterit accommodè intelligi. Sed demus ista referri ad sacramenta, ut hi uolunt, & præterea patres quidam, quos libenter sequimur: quid magis conuenit sumpturis Eucharistiam, quàm doctrina, quàm preces? illa, ut ignorantes doceat, hæ, ut in accepta doctrina perseuerent. Huius rei exemplum in Christo habes, sacramentum instituente. Postquam enim docuerat hoc esse reipsa corpus suũ, quod pro nobis in mortem daret, subiunxit hymnum, quo intelligeremus, Deum patrem pro tantis muneribus laudandũ, quem continuò orare oportet, ut in illius gratia crescamus: néue rursus in peccatum aliquãdo ruamus. Hanc apostolorum doctrinam à Christo haustam, & hunc morem in huius sacratissimi panis fractione priores sequutos, Lucas affirmat. Iam ad locum Pauli uenio, ubi de fractione aliquid dicendũ.

NEOPH. Ne ægrè feras, quæso, orationem interrumpi hoc loco, ut scrupum, qui nunc occasione mihi occurrit, eximas. Nam oratio tua, & maximè ex Augustino petita est, reuocauit mihi memoriam cuiusdam

dam teli, quod magno impetu contorquebant in uirum illum, egregiè sanè & piè doctum, qui secũdo die uices respondentis subibat, non sine summo bonorum omnium applausu. ORTHO. Audiuerã: sed quodnam illud, & ex cuius pharetra depromptum? NEOPH. Ex Origeniana: sic enim ille in Matthæum, ut ab Episcopo, in disputatione excipere potui: quod si quicquid ingreditur in os, in uentrem abit, & in secessum eiicitur, & ille cibus, qui sanctificatur per uerbum Dei, perque orationem, iuxta id quod habet materiale, in uentrem abit, & in secessum eiicitur. Cæterùm iuxta precationem quæ illi accessit, pro portione fidei, fit utilis, efficiens, ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod utile est. ORTHO. Agnosco Origenem, si tamen est Origenes. Nam præterquàm quod mancus sit, quódque in libris olim non habebatur, non sine causa dubitant quidam, num illius germanum sit opus. NEOPH. Hoc ipsum profectò inter alia responsum memini, & præterea querebatur subticuisse quædam: tu si memoriæ succurrant, enarra. ORTHO. Quorsum hîc amplius immoremur? quum ab Origene, (etiam doctissimorum iudicio) ueritas dogmatum ablata est constantissimè. Non repugnabo tamen. Igitur post illa quæ iam ex te audio, statim subdit: Multa porrò, & de ipso uerbo dici possunt, quod factum est caro, cibúsque uerus, quem qui comederit, uiuet inæternum, quem nullus malus potest edere. Hæc Origenes. Ecce uer-

Hieronymus ad Theophilum aduersus Ioan. Hieros. Itẽ Theoph. in lib. pasc.

bum carnem factum, quod nos in hoc cibo Dominico (ut Hilarius ait) sumimus. Suscepit enim (ut ille ait) de carne Mariæ carnem, & in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: hoc est ipsum uerbum caro factum, hic cibus ille uerus. Quod autem ait, Malus non potest edere, intellige (ut oportet) dignè & cum fructu, uel non potest, nimirum, quia non sit fas, sine summo animæ, corporísque periculo, malis hoc cibi genere uesci. Huic interpretationi, eodem uerbo utens apostolus, & eadem de re loquens, non dico fauet, sed eam planè confirmat. Non potestis, inquit, mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum: quin eos iam id fecisse constat. Constat, inquã, quosdã participes fuisse utriusq; mensæ, quatenus quod utrobique appositum est, manducabant: sed malus, inquit ille, nõ potest edere, suo uidelicet commodo, ut inde fructum corporis consequatur. alioquin quæ fuerit Origeni sententia, satis claret, uel ex eo quod scripsit super uerba Christi, Hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus. Panis, inquit, iste, quem Deus uerbum, corpus suum esse fatetur, uerbum est nutritorium animarum, uerbum de Deo uerbo procedẽs, & panis de pane cælesti, qui positus est super mensam, de qua scriptum est, Præparasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me: & potus iste, quem Deus uerbum, sanguinem suum fatetur, uerbum est potans, & inebriãs præclarè corda bibentium, qui est in poculo, de quo

Origenes super Matthæũ.

scriptũ

ſcriptum eſt: Et poculum tuum inebrians quàm pręclarum eſt. Et eſt potus iſte generatio uitis ueræ, quæ dicit, Ego ſum uitis uera: & eſt ſãguis uuæ illius, quę miſſa in torcular, paſſionis protulit potum hunc. Sic & panis eſt uerbum Chriſti factum de tritico illo, quod cadens in terram bonam, multum fructũ reddidit. In quibus uerbis animaduerte duplex uerbum: alterum, inquit, eſt panis iſte, quem Deus uerbum corpus ſuum eſſe fatetur. Quod uerbi corpus (ſic enim loquitur) apoſtoli, feſtiuitatem illam cum magiſtro celebrantes, manducabant. Alterum eſt uerbũ Euangelij, & prædicationis Chriſti, qui de tritico illo cadens in terram bonã, per miniſterium apoſtolorũ toto orbe multum fructum edidit. NEOPH. Reſtat adhuc ſcrupus in Origene, quem ualdè urgebat, nimirum quòd cibus ille, qui ſanctificatur per uerbum Dei, & orationem, iuxta id quod habet materiale, in uentrem abit, & in ſeceſſum emittitur. Cæterùm iuxta precationem, quæ illi acceſſit, pro portione fidei, fit utilis. Agnoſcis reliqua. Hunc locum, inquit, de ſacramento intelligi arguũt, imprimis uerba Pauli, quę huc ab Origene ſtatim citantur: Propter hoc, multi infirmi, & dormiunt multi. ORTHO. Equidem non repugnauerim hîc eſſe quiddam, quod in uentrem abeat: habet enim ſuam eſſentiam & quantitas ſeparata, cuius miniſterio (quo Chriſtus utitur ad communicãdum nobis ſuum corpus & ſanguinem) expleto, ſi ea tranſeat, ut cæteri cibi, Chriſtiana & catholica de Euchariſtia ſententia (quantum quidem

Differit, non aſſerit.

ego intelligere possum) nulla in parte læditur. Ad hæc, dixi iam conuiuia, quæ in primitiua Ecclesia Christiani frequentabant, non fuisse qualia uulgi, sed magna religione & pietate capiebatur cibus, quoties capiebatur. Frangebatur enim panis in memoriam Dominicæ passionis, & sumentes gratias agebāt Dei patris benignitati, qui per unici filij sui sanguinem ipsos expiasset, quique per eiusdem indebitam mortem ipsos cooptasset, in hęreditatē uitę æternæ. Quin
In 6. ca. Act. & omnis panis (si Erasmo Roterodamo credimus) illis repræsentabat quodammodo corpus Domini. At ipsum, inquit, corpus Dominicū, & sanguis Domini administrabatur per diaconos. Viderunt hoc ante illum Chrysostomus & Theophylactus: & hæc conuiuia dicebantur, aliqua ratione cœna Domini, ad imaginem horrendæ illius cœnæ, in qua uerum corpus & sanguis eius conficitur. Hunc morem māsisse in Ecclesia usque ad Origenis tempora, probabile est. Et quid ni, propter abusum huius, nūquam satis laudatæ consuetudinis, quatenus in ea quodāmodo negligebant & spernebant quæ in sacramento sumimus, corpus & sanguinem Domini, (quorum istiusmodi conuiuia, ueluti symbola erāt) multi inter eos propter hoc reperirētur ualetudinarij, malísq; febribus, ac languoribus obnoxij, insuper etiam obdormirent multi: non minus iustè, quàm qui regiam monetam, uel regis famulum, ob id duntaxat percusserit, quòd regis sit, capite plectitur. Quod autem de communis cibi cōmixtione uel secessu dicit, minus

habet

habet ſcrupuli: & ſi quis eſt, per introductam apoſtoli ſententiam penitus ſublatus eſt: eam enim de cibo ſanctificato (quem quotidie Chriſtiani edimus) minimè de Euchariſtia dictã, omnes intelligunt. Quod ipſum ſuprà in catalogo patrum attigimus, & ſuis locis copioſius. Quocirca, ut tandem illum locum, quẽ induxiſti, finiamus, intellige Origenem de pane, qui illis, modo quo dixi, repręſentabat corpus Domini: uel qualis eſt in menſis Chriſtianorum: id quod ſubindicat uerbum, quod ſtatim ex Paulo Origenes citat, Sanctificatur per uerbum Dei & orationem: nam hoc apoſtolus de communibus cibis, nequaquam de ſacramento, ut iam dixi, intelligit, uel de quanto illo materiali: uel demum de ſacramẽto catechumenorũ qui panis eſt, & ſanctior quàm cæteri cibi. Nã triplicem eſſe panis ſanctificationem fatetur Auguſtinus:

Epilogus.

Auguſt. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. cap. 26.

1. unam, quæ in menſa Chriſtianorum ſanctificatur, ut
2. diximus, per uerbum Dei & orationem: altera (ut opinor) iam deſiit: erat enim catechumenorum panis ſanctificatio, & eorum qui nondum renati ſunt. Et, quod ij ſumpſerunt, teſte Auguſtino, ſanctius erat, quã cibi quibus quotidie alimur. Et quare ſanctius? quia, inquit, ſacramentum eſt. Cuius rei quæſo? ſanè
3. uel noſtri, quod panis uitę meritò dicitur, uel cõmunionis Eccleſiæ, uel, ſi mauis, ſymbolum cõmemorationis, & paſſionis Chriſti. NEOPH. Nihil ergo, iuxta eos, differt ſacramentum catechumenorum ab illo, quod nunc Chriſtiani ſumimus. uolunt enim umbraticam quandàm memoriam eius paſſionis, &

nostrum esse. ORTH. Hic arctius constringuntur, quã ut elabi possint. primũ, quid sibi uult Augustinus, precor, cum de sanctificatione panis, qui catechumenis dabatur, & ciborum, quos sanctificamus, corpuscula refecturi, ita loquatur? quòd, uidelicet, ista sanctificatio non efficit, quin in uentrem eant, & in secessum emittantur. An non perspicuũ ex eo euasit, aliam esse panis sanctificationem, quæ efficit, ut panis ille in uentrem non abeat, neque in secessum emittatur. Nimirum, hoc est, quod alio in loco idem ait, & nos suprà attigimus, non omnem panem, sed qui accipit benedictionem (utique quam Dominus ipse præscripsit) fieri corpus Domini. Hæc est illa esca, ad quam, ut ait, Dominus nos exhortatur. Hic est panis ille supercælestis, & uiuus, qui in uentrem, ut cæteri cibi, non traiicitur: siquidem longè alterius naturæ sanctificationem, nõ hominis, sed ipsius Domini (ut sæpe iam dictum est) habet. Deinde quod catechumeni acceperunt, sanctius est (ut ait) quàm cæteri cibi, utpote sacramentum, & tamen, inquit, nõ est corpus Domini. Postremò ad hoc corpus, ad hanc mensam, non nisi baptizatus (ut eius uerbis dicam) ritè accedit. Iam, quod catechumenis olim dabatur, panis erat triticeus, & panis Domini, peculiari quadam ratione est dictus, ideóque sacramẽtum uocatur: quòd esset symbolum concordiæ & Dominicæ passionis. At hoc sacramentum, inquit Hipponẽsis ille, non est corpus Domini, nec est illud sacramentũ, cuius participes fiunt Christiani, qui nomen Christi iam in

baptis-

baptiſmo dederunt. Quum igitur utrunque ſymbolum ſit, & quidem ſanctum, cur catechumeni ab altero arceantur? Cur illis ad hanc mēſam accedere nō licet, niſi quòd nondum, quamuis credant, apti ſunt & idonei, qui tali cibo ueſcantur: niſi quòd illud tātum ſymbolum ſit, hoc non item, ſed etiam uerum corpus Domini, quod illorum panis nō erat, quamuis cæteris cibis (ut ait) ſanctior fuerat. Vt enim non niſi pertranſito rubro mari, antiquus ille populus ad manna perductus eſt, ita catechumeni, quamuis in nomine Ieſu credant, tamen Ieſus non ſe credit illis, neque ad corpus ſuum, & ſanguinē, cæleſte illud māna, admittit, niſi baptiſmo, altero mari rubro, traiecti per eum fuerint, ut olim Iudæi per Moyſen. atque ita nō fide & charitate ſolùm, ſed reipſa etiam, nempe carne & ſanguine Domini, quæ ſub hoc ſacramēto, cuius figura fuit manna, ſumunt, arctiori uinculo, & germaniſſima, ut ille ait, ſocietate uniuntur. quò uerè dicat filius ille, Ecce ego, & pueri mei mecum, quos dedit mihi Deus. Et quidem hi pueri cōmunicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter (ut Paulus ait) participauit iiſdem, nempè, ut per quæ eis coniunctus eſt, ea (carnem dico & ſanguinem) rurſum ipſis exhiberet. Huc longius, quàm uoluntas fuit, abripuit nos tuus Origenes. Iam reuertamur.

Aug. in Ioā. tract. 11.

Cyprianus.

NEOPH. Nihil impedio: perge igitur bonis auibus tenere uiam, quam inſtituiſti, & expedi Paulū mihi, ſanè perquàm obſcurum, atque difficilem: illis uerò, qui cōtrà ſunt, uſqueadeò facilem, ac perſpicuū,

ut de hoc uno quammaximè triumphent. Nam uerba, inquiunt, Pauli aperta sunt, & satis perspicua. Ait enim, Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? quid hîc desideres? an non panẽ audis? an non etiam fractionem? cuius rei? nõ corporis Christi. Scriptũ est enim: Os non comminuetis ex eo. ORTH. Sic in bello temerarios, & imperitos duces sæpè ante uictoriam triumphum cecinisse audiuimus. Hîc quid agat Paulus, unde deducatur, & quò tendat eius sermo, summoperè considerandum. Principiò, uult suos Corinthios simulachrorum cultũ fugere, atque idolothytis abstinere, quoniam qui illis uescitur, id ipsum quod offertur sacrificium, utcunque agnoscere, & illi quodam modo assentiri uidetur. Cuius rei ipsos, quos iam in religione Christi instruxerat, iudices constituit: Vos, inquit, iudicate quod dico: calix benedictionis cui benedicimus, nónne cõmunicatio sanguinis Christi est? panis quẽ frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? per benedictionem, ac fractionem, usum: per communicationem uerò corporis & sanguinis, rem sacramenti, cum usu palam indicans. Quasi diceret, An adhuc ignoratis, aut non meministis potius, quòd hic panis quem frangimus, sit communicatio corporis Christi, quódque calix similiter cui benedicimus, sit ipsius sanguinis cõmunicatio? quotquot enim hunc calicem, & hunc panem dignè sumitis, arctissima coniunctione (ueluti unus panis) Christo coniungimini. Hoc iamdiu uos docui, &

probè

probè tenetis,ſcio Monet, inquam,abſtinere ab idolorum cultura,ne ſocietatem ineant cum dæmoniis, ne excludantur à participatione Chriſti, ne irritent Dominum: breuiter,ne fratrum infirmorum conſcientias offendant. Nolo,inquit,uos fieri ſocios dæmoniorum. Nõ poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:quemadmodũ enim gentes, quæ menſæ dæmoniorũ cõmunicant, participes fiũt ſacrificij,quod illis offertur, & ipſorũ dæmoniorũ ſocij efficiuntur, ita qui de menſa Domini cõmunicãt, participes fiunt illius ſacrificij, quod Dominus in ſui memoriã nobis offerre præcepit.Neq; enim utriuſq; quis particeps eſſe poteſt.Nõ poteſtis (inquit) menſæ Domini participes eſſe (ſpiritualiter,hoc eſt ad ſalutẽ) & mẽſæ dęmoniorũ. Huius ſimilitudinis probationẽ,in legali ſacerdotio uidetis.Videte Iſraël ſecũdũ carnem: nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?nẽpè uictimæ altari ſuperpoſitę Hoc argumẽto demõſtrat Paulus,quid nobis præcipuè in hoc ſacramento quærendum,uidelicet,nõ tam carnẽ Chriſti ſolam, quàm gratiã unionis,qua totus homo toti Chriſto coniungitur. Vnde nõ dixit panẽ cæleſtẽ, & ſalutarem hũc calicem,eſſe ſignificationem,ſeu mẽtẽ tãtùm conceptã corporis & ſanguinis repręſentationem,ſed ipſius corporis Chriſti:corporis,inquã,ueri, & ueri eiuſdem ſanguinis cõmunicationem.Cõmunicatio autem corporis, quid aliud eſt, quã corporũ noſtrorum, cum corpore eius, & ſpirituũ noſtrorũ cũ ſpiritu eius,nõ dico participatio aut annexio, ſed

Cõmunicatio quid.

magis membrorum ad caput unio, qua, non fide & charitate solùm, sed re ipsa unum corpus multi sumus? Et proinde corporis Christi communicationem signanter nominat, ut corporalem unitatem, non spiritualem tantùm designet. Hanc enim, spiritualem dico unitatem, in baptismo iam antè sumus adepti: quam & habere oportet, quoties ad hāc mensam accedimus, ut unū corpus præterea cū eo arctius simus: nónne, inquit, communicatio corporis Christi est? Quēadmodū enim (quod dixit sanctus quidā) si quis liquefactæ ceræ aliā ceram infuderit, alteram cū altera per totū cōmisceat: sic necesse est, si quis carnem & sanguinem Domini dignè recipit, cū ipso ita coniungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur, ut corpus eius corpori Christi, & spiritus eius spiritui Christi ineffabili modo adhæreat. Denique ut simus omnes uiua Ecclesiæ membra, atque in Christū quodā modo trāsfigurati, qui est caput, ex quo totum corpus cōpactum, & connexū per omnē iuncturam subministrationis secundum operationem, in mēsuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. Hoc enim est, quod sacramento corporis & sanguinis sui prægustato, significare uoluit: nimirum per hunc panem omnes in illo sumus unū. Hic fructus est quē sperare oportet, ex hoc cibo Dominico. Hic præcipuus est finis instituti sacramenti, & propterea Christi carnis & sanguinis substantia maximè adest, ut in unum corpus Christi mysticum nos inuicem,

Cyrill. in Ioā. ca. 6. li. 4.

&

& ſuæ carni uniat, útque hic panis, nos unum panem efficiat: quod Paulus non tacuit. Poſtquàm enim dixerat, Panis quem frãgimus, nónne communicatio corporis eſt? ſtatim ſubiunxit, ut cauſam, Quoniã unus panis, & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. At quis unus triticeus panis tam immenſus uſquam extitit, qui omnes poſſet ſatiare? Ac proinde nequaquam de pane terreno loquitur, qui prorſus inefficax eſt ad uniendum homines, ſed de immortali cibo, per quem unum corpus effecti, & per illius dignam ſumptionem corpori ſuo incorporati, atque uniti ſumus, haud aliter quàm cũ panis unus è pluribus granis conficitur. Alioqui ſi mordicus literæ ſine iudicio inhæreas, una opera, nos omnes, hoc eſt, totum Chriſtianorum cœtum, unum panem naturalem conficies. Si enim hic rectè colligit, quia panis dicitur, neceſſariò idcirco triticeus eſt, quis impediat, quò minùs alter, ex eadem ſcriptura, & ratione, ipſum populum, panem naturalem affirmet? Vtrobique enim panis uocabulum poſuit: unus, inquit, panis, & unum corpus multi ſumus: ſed longè aliud uerba ſonant. Eſt enim hic panis, nõ quilibet, ſed communicatio corporis Chriſti eſt. Non enim per hunc panem, participatione tantùm (ut dixi) ſed unitate communicamus: hoc eſt, unimur Chriſto, ut Theophylactus explicat. Et, ut melius intelligas, cuius generis hæc unitas ſit, auſculta Chryſoſtomũ. Chryſoſt.
Quemadmodum, inquit, corpus illud unitum eſt

Christo, ita & nos per hunc panem unione coniungimur. Vnione, inquam, non qua fide, & charitate solùm, sed reipsa, per Eucharistiam quasi in unam massam redigimur. Non ait, Hic panis significat communicationem, aut est communicationis figura, sed ipsa communicatio corporis Christi est. Non ausus addere quòd sit etiam panis, sicut nec antè, cùm de calice mentionem fecerat, quòd sit calix sanguinis & uini. Cum itaque Paulus apertè dicat, idque magna cum asseueratione, ut iam audisti, hunc panem, non significare, sed esse communicationem corporis Christi, nónne, inquit, communicatio corporis Christi est? rectè concludimus, non esse terrestrem panem, sed cælestem, sed ipsissimum Domini corpus. Nam quis panis, quæso te, quantumuis sanctitate præpolleat, quantumuis per uerbũ Dei & orationem sanctificatus, poterit unire corpora nostra suo corpori, & ueluti in unam massam redigere, nisi fuerit ipsum corpus Christi? Potéstne panis, qui naturalis manet, conferre aut largiri substantiam corporis Christi? minimè: sed solus cælestis panis est, ut oportet, comestus, qui tam arctam communionem facit. Atqui, de hoc argumento superius nonnihil disseruimus NEOPH. Plausibilia quidem sunt quæ dicis omnia, sed quæ ipsum nodum adhuc minimè attingũt. De nomine panis, quia satis de eo disputatũ est, non iam multum laboro. quin & Dominus in Euangelio Ioãnis, seipsum panẽ uocat: unde nihil absurdi, corpus eius in Eucharistia uocari

panem.

panem. At, cedo, quare addit Paulus, quem frangimus? non enim corpus Christi frangitur, utpotè iam immortale, & glorificatum. ORTHO. Huic non ego, sed aurea lingua respondeat. Hoc, inquit, in Eucharistia uidere licet, in cruce minimè, sed omninò contrà: os enim eius non conteretur, sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit, ut omnes satiet. hæc ille. Quorsum, precor, ista comparatio, seu antithesis, in Eucharistia uidere licet, in cruce minimè? rursus, quod in cruce passus non est, id in oblatione frangi permittit. Nimium profectò inconcinna, ne dicam inepta, foret, si non idem corpus utrobique uerè adesset. NEOPH. Nimiũ uana (tua pace, & tanti uiri hoc dixerim) uerba ista uidentur esse: nam, ut illud facilè tibi concedam, quòd utrobique (hoc est, tam in Eucharistia, quàm in cruce) idem corpus sit, at hoc, nullo modo possim. Vt enim Christus amplius non moritur, & mors illi ultrà nõ dominabitur: ita neq; in Eucharistia, neque alibi unquam patietur amplius. ORTHO. Videris mihi uerborum uim uel ignorare, uel nõ animaduertere: quis enim nescit, hoc uerbi, tam apud Græcos, quàm Latinos, rarò ad corpus, ad animam sæpius referri? Et proinde non hoc dicit, quod rursus in corpore patiatur (ut tu falsò criminaris) sed quòd in sacramẽto hoc sustineat, hoc nostri causa, pius Dominus in Eucharistia fieri permittat, utque simul intelligas, nõ aliud corpus affixum cruci, aliud in Eucharistia, sed ipsum esse quod nos sumimus: & ideò fractionis meminit.

Chrysost.

Patior. πάσχω.

Hoc, inquit, in Eucharistia fit, atque in sacramento fieri permittit. Et sanè quemadmodum nec sacerdotum, nec temporum, aut locorum diuersitas facit, ut uariæ sint hostiæ, uarij agni, sed noui testamenti una est hostia permanens, unus semper agnus, tametsi uariis in locis offeratur: non enim nunc alium (ut ille ait) crastina alium offerimus, sed semper eundem ipsum: ita sacramentum in uarias particulas comminutum, nihil ueritati præsentis corporis derogat. Neque agnus ille diuiditur, aut sunt propterea multa corpora, sicut nec plura sacrificia, sed unum & idem. nec quia sic frangitur, necesse erit eum rursus in suo corpore pati. Atque idcircò nõ dixit absolutè, corpus Christi frangitur, ut molestias rursus in carne sustineat: sed hoc, inquit, in Eucharistia uidere licet, & in oblatione frangi permittit, nimirum in specie sacramenti, ubi nulla corporis iam glorificati læsio putanda est, nec fieri potest. Enimuerò nullius corpus, quatenus substantia est, propriè diuiditur, nedum Christi. Neq; quia sic frangitur, propterea panis est in substantia, sed quæ sectionem per se recipit, continua est quantitas, qua remota, manet substantia indiuisibilis, quod uel pueri in scholis norunt. In hoc autem sacramento manet illa dimensio, manet continuum illud accidens, atque ipsa (ut ita dicam) continuitas minimè dissoluitur, in qua istam fractionem fieri dicimus, non consideratione naturæ, sed potestate tantùm, & uirtute Dei. Neque tam admirandum Christiano uideri debet, quum lumen illud primo die

Chrysost.

creatum,

creatum, accidens sine subiecta substãtia, Basilio Magno interprete, existeret. Quanquam non ignoramus summæ eruditionis philosophos (Platonem dico cum suis, quibus, quòd Deum cognouerunt, Paulus attestatur) etiam dimensiuas istas (ut ita dicam) quantitates per se subsistentes asserere. Sed nos, præteritis alienis, nostros sectemur. Chrysostomus ergo, ut cœperam dicere, istam fractionem pro miraculo, aut certè magno beneficio posuit, dicens, propter te frangi permittit, ut omnes satiet. Hunc modum adinuenit increata patris sapientia nobis perquàm accommodum, ut, quia fas non sit, more cæterarum carnium Christum uel partiri, uel dentibus dilaniari, uoluit in sacramento, uerè tamen, nos pascere: uoluit ut mensa nostra, quia paruuli sumus, lactesceret, fractóque corporis sui sacramento, domus nostra non solùm impleretur eius unguenti odore, & gratia, sed totius gratiæ fonte, ipso, inquam, corpore & sanguine, non potiremur modò, sed & frueremur. Hoc enim est quod ait, Propter te frangi permittit, in specie uidelicet sacramenti, ut omnes satiet. Alioqui quale miraculum, aut quantulum est hoc Dei beneficium, uidelicet frustulum panis propter te frangi? sed idcirco frangi permittit, in Eucharistia, ut omnes satiet. Satiatur autem anima non terreno pane, non signo, aut aliqua umbratili figura, sed re sacramẽti, hoc est corpore Christi dignè sumpto. Huic succinit Augustinus: Nõ occiditur, inquit, Christus, ut mãducetur, sed mortuos uiuificat, quando manducatur. Refi-

Basil. Mag. homil. 6. in examer.

Tho. contra Gentiles li. 4. cap. 6.

Chrysost.

Aug. de uerbis D. citatur à Gratiano de cõsecrat. dist. 2. ca. inuitat. & cap. qui manducat.

cit,non deficit,uiuit manducatus,quia ſurrexit occiſus.Nec cum manducamus,partes de illo facimus: & quidem in ſacramento ſic fit. Norunt fideles, quemadmodum manducauerunt carnem Chriſti, unuſquiſque accipit partem ſuam.Vnde & ipſa gratia partes uocatur. per partes manducatur & manet integer. Totus per partes manducatur in ſacramento, & manet integer totus in cælo,manet integer totus in corde tuo:totus enim erat apud patrem,quando uenit in Virginem,impleuit eam, nec receſſit ab illo:uenit in carnem,ut eum homines manducarent, & manebat apud patrem integer, ut angelos paſceret. hæc ibi.Illud obſerua, quòd,quam ille in Euchariſtia, & oblatione fractionem aiebat,hanc iſte,quaſi explicans,in ſacramento fieri aſſerit.In ſacramẽto,inquit,ſic fit,hoc eſt,partitur quidem ſacramentum:ſignum, inquam, quod propriè ſacramentum eſt,& externa illa ſpecies diuiditur, ut uel hinc cognoſcas ſignificatum apud Paulum pro ſigno uel ſpecie dici, & quia ſub illiuſmodi ſigno latet corpus dominicum per ſynecdochen,quod in ſignum uel ſpeciem competit,ipſi nõnunquam corpori tribuitur,ueluti frangi, atteríque, manet tamen ſub quauis particula integrum corpus. Quando enim ſic diſtribuitur, Dominum & ſaluatorem(ſacerdotum miniſterio) nõ particulas ſui corporis,quod abſit,per ſingulos diſtribuentem (diſtribuitur enim, ut ille ait, & manducatur per partes ſacramenti non ſui) ſed ſui communicatione diuerſos unientem credere debemus. Solius enim ſancti panis

Eraſm.

D. Thomas.

fracti

fracti & distributi participatio, non alicuius particulæ, sed integri corporis Domini communicatio est. Distributus enim non demembratur (ut Cyprianus loquitur) sed æqua portio omnibus datur, integer erogatur, incorporatur, non iniuriatur. Quorsum tam significantia, tam eminentia & expressa sanctissimi martyris uerba, si non uerè præsens esset corpus? Nec cuiquam, quod dicimus, incredibile uideatur. quotidiano enim experimento cognoscimus, quòd intellectus noster idem uerbum cordis nostri cùm illum quodam modo uoce uestimus, totus simul in corde nostro maneat, & totus cum assumpta uoce, mille hominum & corda & aures, uno eodémque temporis momento percutiat, ut pronunciet quis uerbum aliquod, exempli causa, Iesum. Si unus tantum adsit auditor, totum audit quod dicitur: si duo, tãtundem audiunt, nec minus audit uel maxima multitudo: neq; tamen inter se sonum comminuunt, sed quod totũ est omnibus, totum est singulis. Neque plures sunt uoces, sed una sola, quam eandem omnes & singuli unà audiunt. Ipsam quoque animam corpore, quod corrumpitur, aggrauatam, non particulatim per singula corporis membra diuidi, sed in singulis portiũculis totam atque integram inesse, beatus Augustinus ualidissimè probat. Non plures tamẽ, sed una est anima. Item in accensa lucerna uides ignem, mutuato eodem lumine suo alteri distribui, neque tamen detrimentũ pati, aut minus apud se retinere. Si igitur humano uerbo Deus hoc præstitit, & nos ipsi uide-

Cyprianus de cœna Domini.

Vide August. sermone de tempore 145.

Augu. contra epist. funda. cap. 16. Item ad Hiero. epist. 28.

Conclusio.

mus nulla ratione fieri, uidemus tamen, quid dubitamus idem fieri in omnipotentis Dei unico, & coæterno uerbo, quod ſimiliter, ut nobis uerbum appareret, carne ueſtiuit? Aut quid in omnipotentis, & ſummi Dei miraculo, quo ſic noſtræ ſaluti optimè conſultum uoluit, magis hęreamus, quàm cum de anima diſputantes, eam unam, eandémque indiuiſam, & ſingulis quibuſque particulis ſui corporis eodē momento conſiſtentem, libēter & audimus & fatemur? Aut denique, quid miramur hoc diuinum opus magis, quàm quod ſingulis noctibus, accenſa candela uidemus, ſi tamen uidemus? Cæterùm nemo tam cæcus (habet prouerbium) quàm qui non uult uidere, nemo tam ſurdus, quàm qui nolit audire. Inclamat Chriſtus per iſtiuſmodi opera ſua contra iſtos, qui ex fractione, aut diuiſione huius diuini panis oppugnant ſui corporis ueritatem. Et huiuſmodi quidem ſimilitudines in tanta humanæ mentis caligine, aliquid lucis ad perſuadendas res diuinas afferunt, quāquam non ita reſpondeant, quin pertinax ſemper inueniat, quod cauillari poſſit. Sed quid rerum naturas ſcrutamur, cum ex ſcriptura (cui nemo niſi infidelis reluctatur) peti poſſit? De Sareptana uidua legimus, quòd non habebat panem, niſi quantum pugillus capere poſſit farinæ, & paululum olei in lecytho. Venit Elias, & uerbo tantum promiſit hydriam farinæ non defecturam, neque imminuendum lecythum olei, & ita fit. Abiit mulier, fecit, comedit ipſe, & illa, & domus eius, & non defecit (inquit) hydria farinæ,

&

& lecythus olei non est imminutus. Nihil ergo absurdè credimus, si simili quoque ratione cibum altaris, qui Christus est, per partes sacramenti, ut dictum est, comedimus, quem tamen integrum manere minimè dubitamus. Iubet Elias homo, & paupercula statim obtemperat. Fecit, inquit scriptura, iuxta uerbũ Eliæ, & non defecit hydria farinæ. Iubet Christus Deus & homo: Hoc facite, inquit, & Christianus non parebit? Quàm præposterum est mundi iudicium? Sed nolo rem plus satis per se manifestam exaggerare. Verùm nisi, relicto carnali iudicio, huic Euangelico sermoni nosmet dedamus, profectò eueniet quod nunc dicam: nempè, ut olim Dominus terribile quiddam de puluere excusso dixit, quod esset in testimonium his qui Euangelium ad prædicationẽ Apostolorum repulerant, ita hæ naturæ uires, & muta opera, huic ueritati reluctantes, quam Ecclesia per totũ orbem tuetur, in extremo iudicio, nisi resipiscant, haud dubiè condemnabunt. Non ergo derogat Apostolus ueritati corporis, dum panem appellitat, dũ fractionem asserit, & nos panem fatemur, sed uiuum, sed supersubstantialem, non illum qui in secessum uadat, sed qui substantiam animi fulciat. Hunc panem, siue corpus, Christus omnibus æqualiter dedit, ut Chrysostomus ait: hoc pro omnibus pariter fractum est, & æqua portione distributum, eo dicente, accipite & manducate, corpus uidelicet, quod, ut Theophylactus interpretatur, omnibus æquè dispertiens, morti destinasset. Animaduerte quodnam corpus singulis

Chrysost. in 1. Cor. 11. homil. 27. Item Theophylactus.

dedit, illud idem, inquit, quod morti destinarat. Iam uerò, si omnibus, quod fractum est, æqualiter dedit, & corpus dedit, non panem, (nam quis ita desipit, ut panem dicat pro omnibus fractum? aut cui in mentem ueniat, Christum sic distribuisse panem, ut interim demus materialem esse, quod falsum est, ut ne tantillo quidem plus alius alio acciperet, sed ęqua portio perueniret ad singulos?) si, inquam, ęquabiliter corpus eius ab eo distributum est, quod fatentur Orthodoxi, quomodo, quod nos partimur, & frãgimus, aliísque comedendum porrigimus, fractione minuatur? idem enim est, quod dedit Christus discipulis. Et sanè frangendi uerbum haud malè hîc congruit. Frangitur enim panis triticeus, ut multis uitam conferat. At in sacramento frangi dicitur corpus Domini, quòd uitam ex æquo conferat omnibus dignè sumentibus. Hoc est ergo frangi, per partes sumi, & eodem interprete, æquè omnibus dispartiri. Huius rei figura præcessit in manna, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: unde deriuata est apostolica sententia Qui multum habuit, non abundauit, & qui modicum, non minorauit. Iam si fortè triticeum panem esurientibus apponeremus, non æquè, & ex toto perueniret ad singulos, quia particulatim & minutatim pro portione sua unusquisq; præsumeret: de hoc uerò pane cum assumitur, nihil minus habẽt singuli, quã uniuersi. Dedit enim Christ⁹ ęqualiter omnibus,

Nota quòd dicunt æqualiter.

æqua

æqua portione distribuit omnibus corpus & san-
1. guinem suum. Quod uetus historia partim confir-
2. mat, magis uerò sacri interpretes, quos iam audisti:
3. multò autem maximè, ipsius Domini uerbũ, quo di-
xit, Accipite, & manducate: hoc est, nõ particula cor-
poris mei, sed corpus meum, utique integrum. Diui-
nitas enim uerbi, corpori unita, replet illud, ac facit,
ut, sicut ipsa una est, ita & unum corpus sit in uerita-
te. Habes tandem germanũ huius loci sensum. Pri- *Epilogus.*
1. mò, quis scopus Paulini sermonis, quò tẽdat, & quor-
2. sum introductus. Deinde cuius rei gratia instituta
est hæc nostra mensa, quis fructus, & quale cõmodũ
3. ex hoc sacramẽto sperandũ. Denique cuius generis
sit hic panis, ex ipsius scripturæ circunstãtia, nunc di-
4. ximus. Porrò, quia cælestis est, & non istius naturæ
panis, meritò habet peculiarem, & non istius naturæ
fractionem: & eam quidem duabus pręcipuè de cau-
sis fieri uoluit Dominus. primùm ut carnis suæ olim
in ara crucis pro salute nostra fractæ, & laceratæ, me-
moriam nobis assiduè suggerat: deinde ut æqua por-
tio ad omnes perueniat, utque corpore & sanguine
suo, quæ æquabiliter omnibus porrigit, omnes satiet,
uniátq;. Et propterea, ut immolari, ita & frangi (pro-
pter fractionis in cruce similitudinem) dicere nemo
bonus ambiget: uel ut magis ueræ fractioni respon-
deat, imò sit reipsa fractio, quia lineamenta panis, &
soliditas à consecratione relicta sunt, & dimensiones
manent, per quas propriè ubiuis partitio fit, si in illis
eam fieri dicamus, nemo quod dicimus tanquam a-

1. lienum uel ab exemplis in natura positis, uel scriptu-
2. ris diuinis, uel sacris scriptoribus annotare ualeat.
3. Quid ais? num restāt tibi ex hoc loco quæ adhuc explanari uelis? NEOPH. Omninò nihil, ita rem explicuisti, ut uel lippis appareat, quæ fuerit mens Diui Pauli, quàm non discipulus aduersus magistrū contendat, imò quàm amicè conspirant, quiuis intelligere potest. ORTHO. Iam igitur proximum locum breuiter pertractemus. Hinc etiam colligit determinatio absentiam corporis, quòd ipse Dominus tradēs hoc mysteriū subdat, Hoc facite in meam commemorationem: quæ uerba, post illum panem, ac etiam post calicem Paulus addidit. Atque idcirco urget argumentum ex commemorationis uocabulo, & quasi ouans, ingeminat: Hoc facite in meam cōmemorationem, ac si præsentia corporis penitus abesset, essetque sola & nuda corporis relicta nobis commemoratio: quod, quàm sit uerbo Dei alienū, iam constat, & adhuc elucebit amplius. Dominus Iesus carnē suam, & humanā corporis formā, quam assumpsit, ab humano aspectu ablaturus, & illaturus syderibus, cúmque aderat hora, qua ex hoc mundo per sanctā passionem suam trāsiret ad patrem, quò & sempiternam sui memoriam animis nostris infigeret, & nos nostræ cum eo unitatis, & inuicem concordiæ semper commouueremur, arram sui amoris longè gratissimam nobis relinquere uoluit. Quum enim dilexisset suos, ut Euangelista ait, in finem dilexit eos. Huius dilectionis & charitatis pignus, quod maius aut illustrius

ſtrius eſſe poterit, quàm ut quos redemerit precioſo ſanguine & corpore, eodẽ corpore & ſanguine, quod nullæ matres unquam potuerunt, paſceret? Sic enim ipſe, chara pignora nobis relinquens (cum iam, ut dixi, ſuauiſſimam ſacroſancti corporis ſui hoſtiã pro nobis, Deo patri in odorẽ ſuauitatis immolaret) ait, Accipite, mãducate, bibite: hoc eſt corpus meũ, &c. Poſt quæ ſtatim ſubiecit, Hoc facite in meam commemorationem. quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Multi multa quærunt obliuionis & ingratitudinis remedia: hic ſepulchra & ſtatuas, ille columnas & certamina, alij aliud: uos autem non ita, ſed hoc duntaxat quod nunc mando: nempè hoc facite. Et illi quidem qui ſtatuas erexerunt, ſolùm habebant figuram corporis benefactorum: uos autem diſcipuli mei ab hac oblatione, non habetis figuram corporis mei, ſed ipſum corpus meũ. Hoc ergò alacriter facite. Quibus uerbis duplicem huius cœnæ uſum innoteſcere uo-
1. luit, & ut à fidelibus uelut animæ ſalutare alimentũ
2. ſumatur, Comedite, inquit, & bibite: & ut memoria paſſionis eius celebretur: Hoc, inquit, facite in meam commemorationem. Iiſdem etiam haud obſcurè inſinuat geminam corporis ſui manducationẽ: de cor-
1. porali comeſtione, quod ſæpius nobis dicendum eſt, ait, Hoc eſt corpus meum. Vt enim corporaliter in manus accepit, ita corporalibus manibus accipere iuſſit, & ſimili corporis ore (modo tamẽ à cæteris cibis diuerſo) comedere. Accipite, inquit, & comedite: hoc eſt corpus meum. Corpus dixit, non panem, &

Chryſoſto.

Manducatio duplex.

corpus ſuum,non figuram ſui. Iam de ſpirituali mā- 2.
ducatione ait, Hoc facite in meam cōmemoratio-
nem.Cōmemoratio uerò nullius rei eſſe poteſt, niſi
Fides. 1. cognitæ:fide ergo opus eſt, qua cognoſcamus, quid,
quantúmq; Chriſtus noſtri cauſa in ſuo corpore per-
Cogitatio.2. tulerit. Hanc fidem ſuo ordine ſequatur pia cogita-
tio,quæ eadem beneficia in corde tractet, terat, uol-
uat ac reuoluat,& frequentius meditetur. Inde in-
Intelligētia. 3. telligentia. Inde ſuauior quædam memoria ſurgit:
de qua dictum eſt,Hoc facite in meam commemo-
Memoria.4. rationem.Iam iſtam memoriam comitatur indici-
Amor. 5. bilis quidā amor, quo Chriſtiana anima ſponſo ſuo
Imitatio.6. adhæret,& gaudēs inſequitur,eiúſq; ueſtigiis ſedulo
inſiſtit.Hæc eſt illa ſpiritualis māducatio. ſpirituale
uoco,non ꝙ corpus nō adſit,ut māducetur,ſed quòd
Corpus quare appellatur ſpirituale. diuini ſpiritus operatione fit ſpirituale,quódque id-
ipſum corpus ſpirituale,ſpiritu ac fide reipſa mandu-
catur.Neq; tamen,quia corpus Chriſti nūc iam in ſa-
cramento ſpirituale dicimus, propterea putādum ꝙ
non corpus,ſed ſpiritus ſit,non magis,quàm hoc no-
ſtrum terreſtre corpus à reſurrectione erit ſpiritus,
1.Cor.15. quòd ab apoſtolo ſpirituale dicatur: aut nunc ani-
ma,quòd idipſum animale appellat.ſed ideo anima-
Aug. contra Adamant. Manich.ca. 12. le,quòd animæ ſubditur,tunc autem ſpirituale, non
quia poſthac non ſit amplius caro,& in ſpiritum trā-
ſierit, ſed quòd abſque omni craſſitudine ſpiritu o-
Auguſt. de doctr. Chriſtiana, lib. 3. cap.9. mnimodo ſubiectū. Spiritualiter ergo corporis &
ſanguinis Domini ſacramenta deguſtamus,quando
agnoſcimus quò referantur,& ea non carnali obſer-

uantia,

uantia, ut in Moysi, sed spirituali intelligentia, ut in Christo ueneramur. Quod potissimum tunc fit, quum in signaculis uisibilibus panis & uini unitas rectè cernitur, & res ipsæ inuisibiles, nempè corpus & sanguis Domini humiliter in eis honorantur & suscipiuntur, quum charitatem illam recordamur, quæ filium Dei cælitus ad nos miseros in terram deduxit, quæ famem, quæ sitim, quæ æstum, irrisus, contumelias, sputa, & uerbera, quæ postremò etiam crucem mortémque ipsam subire compulit: quando suauiter & utiliter recondimus in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit, & pro illis omnibus beneficiis, quæ per illius incarnationem, passionem, mortem, & resurrectionem nobis contigerunt, gratias ex animo agimus patri per Christum, quem iuxta omnipotens uerbum, sub forma panis præsentē esse nihil dubitamns. Credere enim Christum sacramento inesse, etiam carne uiuificatrice, cum pleno desiderio eandem sumendi, propriè est spiritualiter manducare. Vnde celebre illud Augustini, Crede & manducasti, promanare uidetur: quando inquam, hoc modo manducamus, & bibimus, fides nutritur, fouetur spes, & charitas magis ac magis inflammatur, & ita spiritualiter manducamus & bibimus, & quod uoluit, in cōmemorationē eius rectè facimus. Neque referenda est hæc memoria ad carnē solam, sed ad ipsam personā filij Dei in utraq; natura consistentem: breuiter ad omnia, quæ ab initio usq; ad finem gessit, aut pertu-

Aug. de Catech. cap. 26. & 4.

lit pro nobis. Et ideo generaliter dixit, in meam cõmemorationem. Præcipuè autem ad illud excessum, quem completurus erat in Hierusalem: acerbissimã, dico, passionem & mortem. Sic enim Paulus exponens uerbum Domini, quod iam in manibus est, ait, Quotiescunque manducabitis panẽ hunc, & calicẽ bibetis, mortẽ Domini annunciabitis, donec ueniat. Quoties, ait, hæc facitis (si tamẽ utiliter facitis) mortem Domini in uobismetipsis (ut Isychius exponit) annũciatis, hoc est, salutis uestræ memoriam instauratis, nempe munificentiæ Christi omnibus collatæ per mortem. Mortis ergo non corporis commemorationem maximè præcepit, quæ tamen natura ita deuinxit, ut alterum sine altero cuiquam in mentem uenire ferè omninò nequeat. NEOPH. Non potuisti, quod illi libentius audiũt, quidquam dicere. huic enim Pauli testimonio, quantum tribuunt, non facilè dixeris, ut quod eorum sententiam (si illis credimus, quam maximè confirmet. cui & illud Petri, quò magis urgeat, adiungunt, de Christo sic loquentis: Quem oportet quidem cælum suscipere usque ad tempora restitutionis omnium. Atque hinc effici uolunt non esse hîc corpus, quod iam in cælo sit, erítque necessitate quadam ineuitabili, qua dictum est, eum oportet cælum suscipere usque ad tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo Prophetarum. ORTHO. Age, etsi hæc ad quintum firmamẽtum magis pertinere sciam. Atque ut primò, quod

Isych. in Leuit. li. 2. ca. 8.

Act. 3.

in

in uoce calũniantur, hîc obiter breuitérque attingã: uerò ne cuiquam ſimile uideatur, ut quod uerbo(oportet) ubiq; efferatur, id ſtatim neceſſe ſit fieri? Chriſtus igitur non potuit non euangelizare aliis ciuitatibus, non potuit Zacheæ domo non manſiſſe, non potuit illas alias oues nõ adduxiſſe, neque potuit paſſionem ſuam non ſuſtinuiſſe. In quibus hoc uerbi, (ut huius generis propè infinita taceam) haudquaquam planè neceſſitatem, & coactionem, ſed decorem magis, & conuenientiam, aut utilitatem ſubindicat. Neque hîc dico quàm indigna ſit Chriſtianis hæc opinio, Chriſtum ita quandam cæli partem occupare, ut in ea tanquam incluſus carcere (quòd dixit ille) ſedeat. At quanto fuerit Chriſtiano nomine dignius, de Chriſto in cælum iam leuato, ita iudicare, quòd pro ſpirituali iam corpore, uero tamen, ſpiritualem ſortitus ſit habitationem? Neque excutiam quàm hæc argumentatio ſit ridicula: quaſi uerò Chriſtus ſibi terras interdixerit: aut quaſi Paulus loquatur de ſecreto & ſpirituali aduentu, ac non potius de manifeſto, quo uenturus eſt & impiis & piis omnibus conſpicuus. de quo dictum eſt aſpicientibus in cælum apoſtolis, Quemadmodum uidiſtis eum aſcendentem in cælum, ſic ueniet. id eſt, modo quo hactenus præſens uobiſcum fuerit: uidelicet, in forma humana uobiſcum cõuerſantem, non amplius eum aſpectaturi eſtis, ſed talem (ut ita dicam) Chriſtum cœlum ſuſcipiet uſque ad ſecundum aduentum. ſic ueniet (inquiunt

Oportet.

Erasmus.

Aug. contra Adamãt. ca. 12.

Aug. in Ioan. tract. 95.

angeli) sic è cælo gloriosus è nube apparebit: sic, hoc est, ad eum modũ non erit uobiscum. Vides eandem ascẽdentis, & redeuntis formam: uides expresè modum negari. Iam quid hoc contra uerbum Christi, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus? quo iuxta uerum & catholicum scripturæ sensum, non humana quæ uideatur, sed panis & uini forma, substantia eadẽ utrobique existente, rectè asseritur. Paulo igitur interprete (ut rursus illuc reuertatur oratio) mortis & passionis suæ meminisse nos uoluit Dominus, ubi dixit, Hoc facite in meam commemorationem, ut plusquàm plumbeum sit telum, ne dicam ineptum, quod huc adferunt, memoriam esse absentium, & præteritorum duntaxat, quasi uerò (quod docuit Augustinus) non sit etiam præsentium. Aut quid absurdi habeat, si Christus, sub specie panis uerè existens, eius carnis sub humana forma crucifixæ, memoriam piis animis cõmendat? NEO. Absurdi nihil, quantum quidem intelligere possum, sed fructus, & consolationis plurimum. ORTHO. An etiam, quia futurum est iudicium, hic memoriam habere uetant Christi, orbem aliquando iudicaturi? Sed dic mihi bona fide, si quis amicus pro te in pugna undique uulneratus occumberet, potẽst ne ulla imago uel signum istius memoriam, tam expresse referre tibi, quàm si illi astiteris, si uideas habeásque ipsum corpus, in quo ictus excepit, quod tui causa confossum, & saucium fuit? Hoc profectò amor tuus erga amicum exoptaret, & sæpius

Aug. de Trinit. li. 14. ca. 11.

pius,credo,inuiſeres, ſi haberes,non ob aliud, quàm ut recenti memoria, ueram illius amicitiam, ac uirilem pugnam,qua tu incolumis euaſiſti, ſemper animo teneres. Sed quod in rebus humanis fieri nequit, hoc Chriſtus pro omnipotentia ſua potuit,pro ſapiẽtia nouit,pro amore erga ſponſam uoluit facere. Accipite,inquit,edite,bibite, hoc eſt corpus meum: idẽ inquã,quod pro uobis tradetur,hic eſt ſanguis meus, is ipſe,qui pro uobis effundetur: hoc facite in meam commemorationem. Quodnam hoc? Num panem? at iam factus eſt per piſtorem. Num uinum? quin hoc natura produxit, & per uinitorem ex multis ſimiliter compreſſis acinis,etiam confectum eſt. Quid ergo? Num manducare iubet, aut bibere in ſui memoriam? at iam hoc fecerant in comeſtione agni, ſi rectè uſi ſunt ea ceremonia. & quomodo non rectè? quum & inſtructor legis, & author inſpectaret? quò fit,ut iuxta legẽ & ederãt,& biberãt ante,ídq; in Chriſti memoriam.Nam cum agnus ille typus ſit,& figura Chriſti,ad id,cuius eſt figura, referri debuit. Iubet quidem Dominus manducare & bibere in ſui memoriam:at nõ ſolum:ſed quid?hoc,inquit, facite, nimirum,quod ego feci: accipite panem,eúmque certum ac conſtitutum, quem ſecernere à cæteris cibis oportet. Accipite, inquam,non agnum, ſed panem, quo Moyſem non amplius imitandum docuit. Rurſus ut Aquarios confunderet, Accipite,inquit, calicẽ non aquæ,ſed uini:benedicite, frangite, & diuidite, & hoc uerbum,ſanè efficax,quod ex me iam audiſtis,

enunciate: nam & hoc ille fecit. Deinde manducate, bibite, sed prius facite. Iste est enim sermo, ait Moyses, quem præcepit uobis Dominus: facite, & apparebit gloria Dei. Vt ergo gloria Domini appareat, facite: ac si diceret, Si non prius feceritis, quod iubeo, panem quidem ac uinum accipere potestis, corpus autem meum, quod pro uobis tradetur, & sanguinem qui effundetur, nõ potestis: hoc ergo, quod me facere uidistis, uos facite. hoc, inquam, & non aliud, neque aliter. Vidisse tantùm, aut semel meminisse, ut spiritualiter sumatis, satis non est, sed conandum ut meæ passionis memoria agat radices, & altius infigatur animis uestris indies. Hanc habere oportet, quantum fieri potest perpetuò, maximè quoties ad hoc sacramentum uenerandum acceditis. Hoc facite, inquit, in meam cõmemorationem. Expressè loquitur Dominus: non enim simpliciter dixit, Hæc est commemoratio mea, aut facite hanc commemorationem duntaxat, sed hoc facite in meam commemorationem: quo uerbo palàm ostendit, magnum aliquod in hoc sacramento latere, unde eius mortis commemorationem animis nostris insurgere, atque infigi uelit, simúlque cum sacrificio, ritum, quo posthac Ecclesia celebraret, haud obscurè insinuat. de quo multi, & doctè, & copiosè disseruerunt. Nunc autem præcipuè de illa commemoratione, quam quisque accedens habere debet, nobis sermo est. Quæ partim malitia diaboli, partim hominũ negligentia excussa est è memoriis, & in plerisque dormitat, ac penè sopita

Isych. li. 2. in Leuit. cap. 9.

Ambros. in 1. Cor. 11.

pita iacet:quod minimè omnium oportuit.Eſt enim hæc non minima,ſed ferè maxima pars,quæ ſi neglecta,contemptáque fuerit, tantum abeſt, ut quod ſuſcipimus corpus, nobis proſit, ut etiam mortiferum ſit, non quia malum eſt, quod accipimus: ſed quòd bono cum Iuda malè utamur.Recepturis itaque ſanctum Domini corpus, imprimis conuenit, ut fidem ſuam,qua Chriſti præſentiam in hoc ſacramento uerè credant,aliqua meditatione excitent,& quàm aſſiduè,& reuerenter poſſunt,illius paſſionis memoriam peragant. Hoc enim eſt, quod mandat,dicens: Hoc facite in meam commemorationem:quam rem Auguſtinus populum ſibi concreditũ docẽs, ſic attigit: In accipiendo nouimus quid cogitemus, modicum accipimus,& in corde ſaginamur,non ergo quod uidetur,ſed quod creditur,paſcit.Tria nobis inſinuat,ut accipiamus,ut cogitemus,ut paſcamur. Quid aliud accipimus,quàm corpus,quod in cœna dedit, quàm ſanguinem,quem in poculo diſtribuit? & quid aliud cogitare nos uelit pius Epiſcopus, quã quod accipimus,illud idẽ eſſe corpus, quod affixũ eſt, ꝙ cruẽtatũ eſt,quod lancea uulneratũ eſt, propter quod non amplius captiui ſumus,ſed liberi, propter quod cælũ, & ea quæ in eo bona ſunt,nos accepturos ſperamꝰ?Hoc enim eſt quod ſubdit Dominus,Hoc facite in meam commemorationem:quæ utraque, ſi rectè fiant, ſua ſponte ſequitur de corpore & ſanguine Domini, ſingularis & ineffabilis quædam nutritio. Multa quidẽ ſunt,& præclara, quæ animos noſtros ad hanc ter ue-

Aug. de uerbis Domini ſecũdum Lucam,ſerm.33. Item Chryſoſt. homil.3. in 1.ca. Ephe.

nerandæ paſſionis memoriam alliciant, hoc fractio docet, hoc ſumptio deſignat, hoc ſpecies panis & uini repræſentant: quæ dum cõtemplamur, quid aliud nobis concionantur, quàm paſſionem, quàm pacem, quàm charitatem erga proximos, & noſtram cum Chriſto unitatem? Dum, inquam, ſeorſum inter celebrandum hæc intuemur, quid aliud quàm dulcem, quàm ſuauem carnis crucifixæ, & ſanguinis effuſi memoriam ſuggerant? quæ tamen non abſunt, ſed iuxta omnipotens uerbum, uerè exiſtunt præſentia, & reipſa in hoc myſterio nobis exhibentur, ſic ut iam antea demonſtrauimus. Neque uerò hîc ſiſtendum eſt, ſed oportet etiam meminiſſe, quòd Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur ueſtigia ipſius, ut ſicut ille obediens fuit patri, ita & nos: ſicut ille patienter tulit crucem, ita & nos: denique ſicut ille occidit peccatum, ita & nos eius auxilio freti, in noſtro corpore mortificemus carnem cum uitiis & cõcupiſcentiis eius, ne amplius regnum, quod ille ſemel deſtruxit, in nobis obtineat. Huc enim referenda ſunt uerba ſaluatoris, Hoc facite in meam commemorationem. Niſi enim huc ſpectemus, niſi hoc ita commemoremus, ut reipſa, quantũ quidem in nobis eſt, faciamus, fruſtra facimus, fruſtra ueneramur, ſine cauſa corpus & ſanguinem percipimus, & oleum (quod aiunt) & opera unà perit. Hactenus ueram, & germanã huius loci explicationem, ſicut à patribus didicimus, accepiſti: ubi de genere oblationis, qua ſingulariter, ac præcipuè per mini-

ministrum, & Christianam plebem communiter Christus, ac eius uerum corpus, uerúsque sanguis Deo patri cum gratiarum actione & supplicatione attenta proponitur, seu repræsentatur, nonnihil attigisse conuenerat. Sed longiorem disputationem requirit, quàm ut hoc tempore aut sermone possit absolui, & nobis de ea commemoratione, quam determinatio proponit, loquendum fuit. NEOPH. Qualénam est hoc oblationis genus, quod peculiariter sacerdoti tribuis? cũ cuiuis Christiano, quod mihi uidetur, in præcepto positum sit, ut hanc, quam dicis, commemorationem æquè faciant, perficiántque. ORTH. Idipsum est, quod longiori tractatu egere dico. Et sacrificium quidem in genere pars utraque amplectitur, sed altera, in sola passionis Christi commemoratione illud ponit: altera in ipso sacrificio, eiusdẽ passionis Christi commemorationem illam fieri dicit. Illi, propositis (si superis placet) symbolis sacramentariis, laudis tantum & gratiarum actionis: Orthodoxi uerò, eandẽ corporis & sanguinis iam præsentis, commemorationem, cum laude & gratiarum actione profitentur. A nobis quidem, & in nobis hæc illius mortis commemoratio fit, at ipsum, quod in eiusdem mortis commemorationem offertur, corpus Christi est, & eius sanguis, totúsque adeò Christus, quem olim in cruce pro nobis positum, paternæ maiestatis conspectui denuò exhibemus, deprecantes, ne peccata nostra, sed in illius faciem respiciat, cum nobis inter iustam patris irã & nostras iniquitates unicũ

mediatorem proponentes, imò Ecclesia proponit, interueniente eiusdem ministro, quando, ut Augustinus ait, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsum sit suetus offerri. Ne autem ubi fiat ignoremus, in sacramento, inquit, altaris fidelibus noto, frequentat Ecclesia. Vbi ei demonstratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. Ipsius enim corporis, ipse est caput, & ipsius capitis, ipsa est corpus. Ecce, caput membra offert, Christus Ecclesiam, Ecclesia itē Christū, idque in sacramento altaris. Atque ita, huic eius pręcepto obtemperantes, repręsentamus, hoc est, uerè præsentem, iterum (ut iam prædictum est) sistimus in recordationē primarij, & unici sacrificij crucis: quo ille, totius mundi precium patri semel plenè persoluit, ac dulcissimam humani generis in tenerrimo corpore reconciliationem perfecit, ut non minus ineptum, quàm falsum, ac blasphemum sit, quod hac in parte nobis affingunt: quasi rursus crucifigamus Christum, aut quasi externam sacerdotis, uel Ecclesię actionē æquiparemus passioni Domini: quasi, inquā, nostrū operatum opus, nostra cōmemoratio, aut nostra corporis & sanguinis Christi repręsentatio, sit illa mundi redemptio, & reconciliatio nostra. absit: sed hoc est quod nunc apertius dicam. Medicamentum simul, & holocaustum, quibus omne morborum genus sanetur, suis ipse manibus cælestis medicus cōfecit, quæ non nisi usu uim exerunt. quibus, si tu uti nolis, uel minus dextrè uulneri adhibeas, quis uel medico, uel medicamento rectè adscripserit, si non mede-

Lib. 10. de ciuitate Dei. ca. 20.

Eodem lib. cap. 6.

medetur? Beata Christi passio, medicinę instar est, quę morbis atque ægritudinibus nostris, per rectum sacramentorum usum, applicanda uenit, alióque, licet ipsa efficax sit, & ad sanandum satis supérque sufficiens, nobis tamen nihil proderit: imò oberit plurimũ non sui inefficacia, sed nostra incuria. Ille, ille est, qui absolutissimum plenissimúmque omnis generis peccati precium solus in cruce semel dependit: ille omnibus obtemperantibus sibi, factus est causa salutis æternæ: cui quidem causæ, tametsi in se nihil deest, eius tamen effectum, non nisi conditione quadam obedientiæ (quod Paulus monuit) consequimur. Igitur (ut iam dixi) huic mandato, quo hoc (nẽpe quod in cœna ipse fecerat) idem rursus facere nobis præcepit, obsecundantes, immolamus in corpore Christi sacrificium laudis, & beneficium crucis, quod semel peregit, in nos deriuamus, nobis accommodamus, applicamus, dum ex illo fonte inexhausto nouã subinde peccatorum remissionem elicimus, & germanissimam (ut ille loquitur) & arctissimam unitatem eiusdem participatione nobis cõparamus. Hanc applicationem, (qua uoce recentiores theologi sæpius utuntur) rumpantur licet aduersarij, catholica Ecclesia semper agnouit: quam Augustinus, de moribũda matre sua uerba faciens, dispensationem appellare uidetur. Non ista, inquit, mandauit nobis (sumptuosioris sepulturæ apparatum significans) sed tantũmodo memoriam sui, ad altare tuum fieri desiderauit, unde sciret dispensari uictimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrariũ nobis. Ecce, piæ

August. contra aduer. legis & proph. li. 1. cap. 20.

Cyprianus.

August. li. 9. confess. ca. 13.

& Christianæ fœminæ pium uotum. Vbi etiam loci, huius uoti sui compotem fuisse, sacrificiúmque precij nostri pro ea, iam defuncta, oblatum commemorat. Audis sacrificiũ precij nostri: quod, in ullius uel sola gratiarum actione, uel cõmemoratione, quatũlibet pij, impiè ponitur. Precij enim nostri hostia, Christus est, ipsum, dico, corpus & sanguis Domini (ut idem alibi loquitur) pro salute nostra unicum sacrificium. Audis memoriam, & dispensationem, sanctæ huius uictimæ, etiam ad defunctos pertinere. Atqui, nõ alia est uictima, quæ illam syngrapham (qua genus humanum, uelut manu propria, in fidem hostis diaboli se perscripsit) deleat, nisi illa unica in cruce cruenta Christi oblatio: quam eandem (sed mysterio incruentam) noui testamenti (ut Irenæus loquitur) nouam oblationem Ecclesia ab Apostolis accipiens, in uniuerso mundo offert Deo. Nouam dicit, quam Christus Iesus primus instituit, primus obtulit, primus docuit: Hoc, inquit, facite, &c. Nam si antè extiterat, si in ueteri instrumento, eadem præcesserat, cur nouam, aut noui testamenti oblationem appellauit? quorsum adderet Ecclesiam ab apostolis (qui & ipsi à Christo) oblationẽ accepisse, quã in uniuerso mundo offerat Deo? Palã profitetur, quod Christus accipiens panẽ, itémq; calicẽ (& uerbis suis cũ gratiarũ actione, super utrãque creaturã prolatis) alterũ corpus, alterũ uerò sanguinẽ suũ cõfessus est: sicq;, iuxta Malachiæ uaticinium, institutum esse noui testamenti nouum sacrificium. At unde hoc Irenæo, ut hîc oblatio instituatur?

tuatur? Responderim, ex eo maximè, quod iā tractamus, Christi uerbo, quo ille prophetiam, quam dixi, absolutè, & dilucidè adimpleuit. Atqui hîc uicissim nobis respondeant, unde, aut quo scripturæ testimonio (ad quam solam ubique prouocant) istam suam commemorationem sacrificium constituunt? (sacrificium enim cōmemoratiuum & illi agnoscunt) aut cur magis in huius, quàm in baptismi celebratione statuatur, quum perinde eiusdem mortis Christi cōmemoratio (eadem scriptura sæpius attestante) Christianis utrobique commendetur? Certè nō est, quòd calumnientur nos à Poëtis suppetias petere. Neque enim aliò rapimus Christi uerbū, quàm uel scripturæ usus postulat (quod iam ostendisse perfacile est, uel quàm utriusq; Ecclesiæ patres interpretantur. Sed ne rem utrinque intactam, penitus pręteriisse uidear, quid Chrysostomus edicat, audi. Et in ueteri quidē testamento, inquit, cùm imperfectiores essent, quem Idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere uoluit, ut ab Idolis eos auerteret: quod etiam inenarrabilis amoris signum erat. Hîc autem multo admirabilius, & magnificentius sacrificium præparauit, & cum sacrificium ipsum cōmutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet. hæc ille. Præparauit, inquit, rem uidelicet, seu materiam sacrificij nostri, corpus & sanguinem suum. Nondum enim erat sacrificium corporis & sanguinis Domini: quod (ut Augustini uerbis dicam) norunt, qui Euangelium legerunt. sanè uerò imprimis ex his uerbis Euā-

Chrysost. in 1. Cor. 10.

Christiani sacrificij materia.

Aug. in præfatione Psal. 33.

gelij norunt. id quod complures alij ex eodem Augustino loci manifestè indicant. Commutauit (inquit Chrysostomus) & pręcepit. In utroque authoritatem uide: & alterum quidem in cœna, alterum uerò in cruce factum intellige. Iam uerò, quid est sacrificium commutare, nisi pro alio aliud ponere, atque adeò seipsum (nempè admirabilius, & magnificentius sacrificium) illorum omnium loco, quæ in lege fuerunt, sacrificiorum substituere? Atque ut fateamur hanc eum commutationem fecisse, quando in cruce se obtulit, primo omniũ tamen (quod & huic Chrysostomi loco propriè quadrat) factã esse cõstat, quando corpus & sanguinem suum nobis commẽdauit. tunc enim quod hic dicit, præceptum ita adiecit: Hoc facite in meam cõmemorationẽ, cuius potissimum causa, nimirùm passionis suæ iugiter recolendæ, institutum ait hoc sacrificium, & se propterea (quod dixit Chrysostomus) offerẽdũ præcepit. Istuc rogo, quid est, præcepit? nisi nostri curam habẽs, iniunxit, & expressè in mãdatis dedit? & quis ille? cuius pręceptum, uel non facere, uel contemnere, æterna mors est. Quid autem præcepit, iam dictũ est. Non enim dixit, Ipse se obtulit, quod & fecit in cruce semel, sed se offerendum præcepit. Se dicit, non laudis tantum sacrificium, seu gratiarum actionem (quod quidam garriunt:) seipsum, inquam, pro brutorum cæde offerendum præcepit, ac noui testamenti nouã oblationem docuit. quod in cœna (ne uel locus, uel tempus te lateat) patres omnes, cũ hoc antistite, uno

Instituti sacrificij causa.

ore

ore factum haud obscurè affirmant, ut nequicquam, suum semel, posthac nobis ingerant. Cum D. Paulo dicimus, quòd ipse semel in cruce cruẽtum se obtulit, cum Chrysostomo, cum Irenæo, imò cum inexpugnabili Christi Ecclesia dicimus, ac docemus eũ præcepisse nobis, ut ipsum, iterum, iterúmque (intellige in mysterio) offeramus: cui quidẽ præcepto sic (ut prędictũ est) obtẽperantes, celebramus peracti sacrificij memoriã, non oratione, aut gratiarũ actione, non cõtriti cordis hostia (tametsi ea suum locũ, imò in nobismetipsis primas teneant) non, inquã, repræsentatione panis & uini, aut symbolorum duntaxat (quæ omnia perinde etiam ad uetus testamentũ pertinebant) sed longè alterius generis, alterius rei, nempe corporis & sanguinis Domini (quod Augustinus dixit) & oblatione & participatione. Quo uerbo uerifs. singulare, & omnibus suis numeris perfectũ atq; absolutũ Christianorũ sacrificiũ significauit. Simul & illud obserua, quomodo unius eiusdémq; rei, duas nostri actiones, non sine necessario ordine posuit. aliud enim oblatio, aliud participatio: cæterũ quod offertur, cuiúsq; participes sumus, unũ idémq;. Oblatione, inquit, & participatione corporis & sanguinis Domini, peracti sacrificij memoriã celebramus, sed prior oblatio est. Nõ enim corpus accipitur, nisi prius offeratur, sicut in lege, agnum, nisi oblatũ, comedere, haudquaquã licuit. Ecquid hoc uno Augustini testimonio pro Ecclesiæ sententia confirmanda luculẽtius afferri potuit? quod tamẽ determinationi impri-

Vide Greg. in 4. dialog. ca. 58.

Idẽ offertur et accipitur.

mis dignum uidetur, contrà in mediũ proferri. Sed sic sapiunt, qui contra Dominũ sapiunt, ut scilicet illud ipsum, quod pro sua opinione stabilienda allatũ aliquando putauerint, attentius consideratũ, cõtra se, uel inuiti, ipsi introductũ fateantur. Sed non institui hîc insistere, aut hunc sermonẽ diutius protrahere. Igitur, ut aliquãdo ad te redeã, hanc oblationẽ, totius Ecclesiæ cũ sit, per ipsam offerri nõ negamus: sed nõ nisi mediante (ut diximus) eiusdẽ Ecclesiæ idoneo ministro, qui (sicut Ambrosius ait) authoritatem accepit: teste conscientia sua, ut audeat, uice domini, sacrificium Deo offerre. Nam ut hoc illis largiamur (quod scilicet accipere corpus & sanguinẽ Domini in Eucharistia, mãducare & bibere, Deo benedicere, & non solùm gratias, sed & memoriã passionis agere, omnibus iussum sit) attamen, hanc, quam dixi, peculiarem benedictionem peragere, celebrare, sermonem ab ipso Christo in cœna prolatũ super dominicum mysterium, ut* Isychius loquitur, pronũtiare, sacrum Domini corpus, & sanguinẽ conficere, & offerre, ne ulli quidem hominum, nõ imperatori, non regi, non laico, non diacono, permittitur, nisi his dũtaxat, qui gradũ aliquem sacerdotij nacti sunt. Hoc regula ab ipsis apostolis fundata, optimis cõciliis stabilita, & Euangelica authoritate confirmata, habet. Huic tu ueritati, postpositis aliorum figmentis & sophismatibus quibuscunq;, securus acquiescas. Cætera quæ desunt, uel aliàs à nobis, uel ab iis pete, si libet, qui bene multa, & magna uolumina, ista ipsa de re

Ambro. in 1. Timoth. cap. 4.

Isych. li 6. in Leuit. ca. 22. Idẽ li 2. ca. 8. Itẽ Chrysost. in Matt. homil. 41. Idem in. 2. ad Timot. homi. 2. & li. 3. de sacerdotio. Itẽ Concil. Nice. ca. 14. Itẽ Arnobius in Psal. 139. Nico. Cabas cap. 29. Ignatius ad Hiero. Diaco. Hiero. ad Euag. Idem ad Heliodorum, &c.

re conſcripſerunt. Nos pergamus. Succedunt nunc, quæ è ſexto capite Ioannis afferũtur. Vbi, ut non negamus cæleſtem doctrinam ſub ænigmate commẽdari, ita cum Orthodoxis omnibus fatemur de corporis & ſanguinis Domini ſumptione in ſacramẽto tractationem ſanè perquam dilucidam haberi. Hîc, ſicubi aliâs, argumẽtis rem geri exoptabã. Nam quale hoc eſt, precor, operamini non cibum qui perit: & hoc eſt opus Dei, ut credatis in illum, quem miſit pater: ergo corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia? NEOPH. Quis prudens ita diſputat? ORTHO. Alioqui quorſum iſta introducta ſunt? Siquidem nõ eſt quiſquam tam ſtupidus, qui non intelligat, Chriſtum hîc hortari ad fidem. Hic panis eſt qui deſcendit de cælo, quî poteſt igitur eſſe caro? quum ea è ſupernis non uenit, ſed ex Virgine aſſumpta. Hæc ultro ſi largiamur, noſtræ ſententiæ nihil quicquam derogant. ſed quis tyro non aduertit, quam ſtruit fallaciam? Quaſi panis uocabulum uniuſmodi ſit, aut quaſi non & deitas Chriſti, & humanitas, panis nomine, iuxtà appellentur. Et quis Chriſtianus non norit, hunc panem, non eſſe illum, hoc eſt, carnem uel humanitatem Chriſti non eſſe ipſam deitatem? Quanquam ſi ad unitatem perſonæ referamus, rectè dicatur, quòd filius hominis deſcendit de cælo. Vna enim perſona eſt Deus & homo. NEOPH. Quæ hactenus audio, niſi malè memini, tantum ſubſeruire uoluit iis, quæ poſtea erat ex eodem capite dicturus. ſequitur enim: Qui mandu-

cat carnem meam,& bibit ſanguinem meum, in me manet,& ego in illo.Hoc Iudæi audiẽtes, offenduntur. Vult igitur, ut uerè dicit, auellere eos à carnali manducatione:& ne tam carnaliter ſapiant,eos deinde ita inſtruit: Quid ſi uideritis filiũ hominis aſcendentem,ubi erat prius?hoc corpus aſcendit in cælum utique integrum.Et ſpiritus eſt qui uiuificat,caro nõ prodeſt quicquam.Et uerba quæ ego loquor,ſpiritus ſunt & uita. ORTH. Sit per me uerũ quod dicis, interim ſatis callidè permiſcet ambigua: ſed quæ tandem erit concluſio? Nam & nos hæc omnia libenter amplectimur. NEO. Mihi quidem efficax ratio uidetur,ſi integrum corpus aſcendit in cælũ, certè in terris eſſe nequit. ORTH. Hęc ſuo loco diſſoluẽtur.Poſuit enim in initio ſcholaſtica determinatio quincuplex firmamentũ huic cauſæ,ut noſti. In qua pertractanda,oratorem ſequitur,qui iubet,quæ maximum habent robur, primo, & ultimo in loco ponere. quæ res maximè facit ad uictoriã. Sed huius anchorę iactum(ut aiunt)ſuo tempore præuertet Deus.Iam hîc nobis plurima conſultò prætermittẽda ſunt,partim, quòd de ſacramentali corporis manducatione Ioannem loquutum,ſolidis patrũ teſtimonis antea confirmauimus:partim,quòd hic locorũ aceruus, quem determinatio produxit,uel parum admodũ,uel nihil omninò cauſam ſuã iuuat.Huius rei non aliũ, quàm eam ipſam appello iudicẽ. Sic enim in initio loquitur: Non ſunt multa ſcripturæ teſtimonia, quæ hoc confirmant,neque refert.ſatis enim eſt,ſi unum apertum,

tum, & uerum testimonium producatur. Quorsum igitur tanta locorum multitudo, qui ad causæ defensionem, uel ea iudice, nihil faciant? Non sunt enim, ut ait, multæ scripturæ, quæ, quod conatur, corroborant. Adde, quòd nimis prolixum foret de hoc capite exactius disserere: quod plures docti uiri iam fecerũt, qui sua opera hanc Euangelicam scripturam ita illustrarunt, ut nostra non indigeat. Tamen ne subterfugere uideamur, tantum in his, quæ alicuius momenti putat esse, aliquantisper immorabimur. Non satis attentè hanc Christi disputationem, quam habuit cũ Capharnaitis, neque cum consequentibus, antecedẽtia aptè satis ac peritè cõcinnare uidentur, qui omnia de spirituali manducatione, sacramentali penitus seclusa, hîc dici contendunt. Quã rem, ex unius Chrysostomi testimonio, præteritis aliis, ne tædio sim, perspicuè ostendam. Iam, inquit, in mysteriorum traditionem deuenturus est: & primùm de diuinitate sua ita disputat: Ego sum panis uitæ. neque enim de corpore dictum est, de quo circa finem inquit Seruator, Panis quem ego dabo, caro mea est. hæc ille. Quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinacia pugnaces, neruos aduersus constantiam perspicuæ ueritatis intendant? Quid quod etiam, si quis manducauerit hunc panem, uiuet in æternum, de eodem intelligit: panem, inquit, siue doctrinam, hoc in loco, & fidem in se, siue corpus suum dicit. Ecce non pugnaciter agit pius antistes, etiam si cætera ad hunc modum intelligas. Verùm quæ circa finẽ po-

Super Ioan. cap. 6.

ſita ſunt, citra ullam dubitationem de corpore intelligenda conſtanter affirmat. Vbi populum ſibi à Deo cōcreditum pręclarè docet, quid de tam admirandis myſteriis ſentire oporteat, quare mentionem eorum iſthic Dominus faciat, cur data ſunt, & quæ eorum utilitas. Rurſus, quātum & quàm graue ſupplicium eos manet, qui temerè ad hanc menſam accedunt, ſubinde repetēs illud Pauli, Iudiciū ſibi māducat & bibit. Et quid, inquit, mirū, ſi, qui immūda cōſciētia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clauis crucifixerunt? Sed uenio ad ſententiā Chriſti, qua monet operari nō cibū qui perit, quæ utiq; de præceptis diuinis & uerbo Euangelij, ubi pij animi meditantur & paſcūt ſe quotidiè, intelligitur. Quæ intelligentia cūprimis Auguſtino placuit: is enim quartā orationis dominicæ petitionem, qua panem noſtrum quotidianū à patre cæleſti petimus, explicans, triplicē conſtituit panem. Vnū, quo, quęcunq; ad huius uitæ neceſſitatē requirimus, nobis ſubminiſtrātur. Alterū, quē uocat ſacramentū corporis Chriſti. Tertiū deniq; qui eſt cibus quidā ſpiritualis. Sub hęc inueſtigans, quærit (aut potius ratiocinatur in utrāq; partē) num ea petitio ſeorſum de uictu, & tegumentis, an item de corpore Domini rectè dicatur? Atq; ut utramq; interpretationē, propter cauſas ibi poſitas, probabilē in medio relinquit, ita ſine quauis ambiguitate de pane ſpirituali, qui quotidianus eſt, interpretatur. de præceptis, inquā, diuinis, quæ quotidiè oportet meditari, & operari.

Aug. ſer. 2. in monte. et c.

rari.Nam,inquit,de ipsis Dominus dicit,Operamini escā quæ nō corrūpitur. Nihilominus tamē, seipsum Dominus illis uerbis insinuat,quòd sit panis ille, qui dat uitam mundo,ut idē ait. Sed operæpreciū est tāti Episcopi uerba fixius intueri: sunt enim cælestis philosophiæ admodum plena. Et præterquam quòd hanc Euangelij sententiam de præceptis potius diuinis exponat, quàm de corpore dominico, qui tamen cibus est,qui non perit, etiam totam hanc fabricam, istis infirmis firmamentis malè fulcitam, penitus elidit, dum corpus Domini, quod nos in sacramento accipimus,tum à communi,tum à spirituali esca longè latéque differre asserit. Inepta alioqui uidebitur partitio, ubi membra coinciderint. Aut si sacramentum corporis non sit aliud cibi genus, quorsum hæc uerba?Sed horum trium quid sit probabilius, cōsiderari potest. Quo fit,ut corpus in sacramento,neque sit esca, qua uitæ necessitatem sustentamus (& proinde communis non est, nec per aluum traiicitur, sicut ea solet)neque est cibus ille spiritualis,qui non perit,puta mandata Dei,quibus anima quotidie pascitur: sed est panis ab utroque differens, & longè disiunctus, nempè ipsa caro Domini Iesu, & sanguis, quæ ut misericorditer nobis ad tuitionem corporis & animæ promisit, ita promissum, in cœna fideliter præstitit. NEOPH. At uult Christus carnem suam dimitti, ut quę nihil commodi in se habeat,& quantum potest, ducit ad spiritum: Spiritus est, inquit, qui uiuificat, caro nō prodest quicquā. ORTH. Hoc est addere uer-

Tract. in Ioā. 25.

Conclusio.

bo Dei. Non dicebat ille, caro mea, ſed ſimpliciter, caro non prodeſt quicquam. Sed cuiuſmodi eſt iſta rerum, aut uerborum conſequentia: caro in ſacramento non prodeſt, ergo non adeſt? malis enim adeſt uera caro, & obeſt: quòd autem caro Chriſti ubique fidelibus prodeſt, nemo niſi infidelis negat. Alioqui quomodo conſtabit ipſe ſibi, qui paulò antè, carnem ſuam dicebat uerè cibum, & ſanguinem ſuum uerè potum? Rurſus, Niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis? quomodo ergo non prodeſt caro, ſine qua non poteſt uiuere caro? Vide, inquit Chryſoſtomus, quòd ea particula, Caro nõ prodeſt quicquam, non de ipſa carne, ſed carnali auditione dictum eſt. Carnales enim, illi Capharnaïtæ cogitabant: quòd præciſurus eſſet particulas de corpore ſuo. Nihil illi, niſi ollas Aegyptiacas, niſi carnem aſſatam, aut elixã ſomniabant. Sed in huiuſmodi cogitationibus (quòd dixit quidam) caro & ſanguis non prodeſt quicquã. Atqui Chriſtus huc tendendum in actis omnibus docet, ut ſpiritum reſpiciamus, non carnem: maximè in legis Dei interpretatione. Eſt enim lex animali ſimilis, quòd corpus ſeu carnem habet ipſam literam, habet & animam, hoc eſt, ſpiritualem, & intelligibilẽ ſenſum. Hinc iſta generalis regula, & ueluti gnomon, quò referenda ſunt omnia, & quæ agimus, & quæ intelligimus, uel, ut Auguſtinus intelligit, caro ſola. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo ſcientia ad charitatem, & prodeſt plurimum. Atque ita non

Auguſtinus.

Cypria. de cœna Domini.

ſunt

ſunt hæc uerba carnem ſuam contemnentis (abſit) ſicut neque Paulus ſpreuit ſcientiam, ſed pręferentis ſpiritum, ut ille charitatem. Et quemadmodum ea, præſente charitate, non inflat, ſed ædificat, ita caro ſpiritu imbuta, non modo nihil obeſt, ſed multum per omnem modum prodeſt. Ea quidem ſemper habet ſpiritum ac uerbum, quod naturaliter uita eſt, & proinde ſemper ſui natura uiuifica. NEOPH. Si uera ſunt, quæ prædicas, primùm quòd uera carnis ſubſtãtia adeſt, deinde quòd eadem ſuapte natura, recipientibus uitam præſtat, quomodo non omnes, qui iſtius corporis participes fiunt, ſeruantur, etiam ſi uita ſint cõtaminatiſſima? ORTHO. Minimè. Vt enim, nõ omnes, qui Chriſtum contrectarunt, ſed ſola ea mulier quæ uniuerſam ſubſtantiam in medicos fruſtrà conſumpſerat, tandem firma ſpe, in unum, eúmque uerũ medicum fixa, tangens ſanata eſt, pari modo non omnes, ſed hi ſolùm, qui mundo, & fideli animo accedunt, quíque uenerandum Chriſti corpus, non tantummodo ore, ſed mente etiam contingunt, tali beneficio ab eodem donantur. Perinde enim res hîc geritur, ac ſi medicinæ artis peritus aliquis infirmo potionem præſcribat. Non ſatis fuerit noſſe quid ſit, aut quo modo fiat, niſi inſuper modum & tempus, quibus ſumere oporteat, ſimul noueris. Si enim manè, quam ille ſub noctu: ſi frigidam, quam ille tepefactã: ſi denique pleno ſtomacho, quam ille ieiuno ſumendam præſcripſerit, quamuis ipſiſſima, & omninò eadem ſit potio, quo ad ſubſtantiam, tamẽ in uenenum

conuertisti, tantùm quia errasti in modo. Hoc fit in salutari Eucharistiæ medicamento. Dum enim mali reuera ipsum corpus recipiunt, tamen quia modum non obseruant, quem medicus posuit, hoc est, indignè sumunt, non diiudicantes corpus Domini, fit, ut eorum culpa, quod aliis sanitatem, illis ęgritudinem, quod aliis uitam, illis uitiosè affectis, mortem, & exitium afferat, non quidem suapte natura, sed eorum culpa, qui quod bonum est, abutuntur. Absit enim, ut medicus daret uenenum. Salutem medicus dedit, indignus autem ad perniciem accepit. Sed age, quanquam Sol iamdudum ad occasum uergens, sermonẽ contrahere nos moneat, tamen ne dixisse solùm, non autem probasse uideamur, paululũ immorari adhuc libet, & si lõgior fuero, cogita istorum esse præcipuũ telum, & ueritatis magnum lucrum. Igitur quò magis res cognoscatur, profuerat scire, quàm uariè astutiam suam exercuit humani generis tentator ille. Olim persuasit corpus Domini in sacramento tantũ habere momenti & efficaciæ, ut quicunque acceperat, iam securus esset, uicturus æterna uita, quomodocunq; interim uiueret. Cum id ei minimè ex sententia, per Dei benignitatem, euenit, alia uia aggreditur, quæ tamen eundem exitum habet. Nempè ut huius diuinissimi sacramenti fructum mundo auferat, non referre in Messalianis affirmans. Nihil enim boni ex assumpto, neque mali quicquam, ex neglecto sacramento consequutum iri. Iam cum neuter illi conatus uoto successit, suos hodie docet, non esse, quod dicitur,

August. li. 21. de ciuit. Dei cap. 25.

dicitur,corpus, ſed tantùm ſacramentum. Ita omnē ubique mouet lapidem,& aſſiduè pertentat, & ſcrutatur,ut ſeducat,ut perdat. Et ſanè non diſſimilē huic noſtri temporis errorem, olim in Eccleſia ortum uideas, quo contendebant quidam, baptiſmum apud hęreticos non eſſe ſanum,& integrum, adeò ut rebaptizare curarent. Quæ res diligenter ab Auguſtino pertractata eſt, atque huc tandem perducta: haberi quidem apud eos legitimum baptiſma,ſed non legitimè. Nam, inquit, quiſque baptiſmum in unitate catholica,& eo dignè uiuens habet, & legitimum,& legitimè,habet:quiſquis autem,uel in ipſa catholica, ſicut palea commixta frumento,uel extra, ſicut palea uento ſublata, habet, baptiſmum legitimum habet, ſed non legitimè.Rurſus aliud eſt habere,aliud utiliter habere:qui non habet,eſt baptizandus, ut habeat: qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, eſt corrigendus. NEOPH. Pulchrè uerò exorditur hanc telam,tu deducito. ORTHO. Quin iam pertexta eſt, atque ad exitum deducta, ſi uides. Quemadmodum enim qui baptizantur ab hæreticis, uerum ac integrū ſacramentum habent,ita & mali,qui ad menſam dominicam accedunt,integrum corpus, & uerum ſanguinem accipiunt. Et ut illi ueritatem baptiſmi habent,non autem gratiam, qua donantur peccata: ſic iſti corporis & ſanguinis ueritatem, non unitatem habentes,ad iudicium habent, non ad uitam. Quod etiam ex ſcripturis demonſtrare haud fuerit difficile. Qui igitur ubique ſcripturas appellāt,uerba ſcriptu-

Auguſt. contra Donatiſt. lib. 5. cap. 7. & lib. 4. cap. 17.

ræ nobiſcum expendant,ex qua diſcimus, quod Dominus largitur,id non uarium eſſe,aut diſcrepans, ut pro recipientis affectu,nunc ſit,nunc non ſit,ſed qualecunque dedit,uniuſmodi eſt permanens,& immutabile, utpote perenni & immutabili uerbo confectum. Et proinde, ſi bonis uerum corpus eſt, & ipſe ſanguis, erit profectò etiam malis. Ait enim, Hoc eſt corpus meum, & Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus. Non dixit, Tu Petre, manduca corpus, & bibe ſanguinem meum,quod Iudas non faciet: ſed porrecto calice,omnibus,etiã Iudæ, ait,Bibite ex hoc omnes,hoc,inquam,bibite. Et quid eſt hoc? Reſpondet, hic eſt ſanguis meus. Per generis mutationem, ſuum proprium ſanguinem dediſſe,non uinum, interpres haud obſcurè declarauit. Et quidem nulla ratio eſt,imò ab omni ratione penitus alienum, ut noſtræ mentis affectio in hanc uel illam partem mobilis,Deum faciat, ipſo uertumno, quod dici ſolet, inconſtantiorẽ. Aut quia nos nequam ſumus,nunquid iniquitas noſtra fidem Dei euacuauit? Lex bona eſt, inquit Apoſtolus,ſi quis ea legitimè utatur. An peccatum noſtrum,legis naturam inficit,aut peruertit, ſi ei non obſequimur? Minimè gentium. Sed hoc eſt, quod Simeon in ſpiritu prædixit, Hic poſitus eſt in ruinam,& in reſurrectionem multorum,nempè lapis offenſionis,& petra ſcandali. Rurſus,Peccatũ,inquit, ut appareat peccatum per bonum, mihi operatum eſt mortem. Ecce,per bonum,factum eſt malum, dũ malè accipitur bonum. Quid? An propterea non idẽ

Huius rationis pondus, fateor, non trahit, ſed ducit.

Auguſt. lib. 2. cap. 49. contra Petil.

eſt

eſt ſeruator Chriſtus, quia quibuſdam eſt odor uitæ in uitam, quibuſdam uerò odor mortis in mortem? Bonus, inquit, odor ſumus, & in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Omnibus ſemper idem odor bonus, qui tamen pereuntibus fit exitialis: non quidem ex ſui boni odoris natura, qui de ſe ſalutaris eſt, ſed ex ipſa abutentium malicia. Sicut ergo noſtra uita, quantumuis ſcelerata, non efficit, quo minus bona ſit lex, etiam ſi abutamur, ea enim ſuapte natura bona eſt, & mandatum ſanctum, iuſtum & bonum: utque Chriſtus, tametſi nonnulli in eum impingant, idem ſemper manet, ita nullius malicia, ut nõ ſit ei corpus & ſanguis, ſicut ille dixit, ullo pacto efficere queat. Dat quod ipſe eſt, monet, ut utiliter accipiatur. Quid reſtat, niſi, ut tibi imputes, ſi tanto ſacramento abutare? quod, qui facit, iudicium ſibi manducat & bibit. Nam ſi, qui regiam purpuram, ut quidam ait, coinquinant, haud ſecus quàm qui ſcindunt, puniuntur: quid mirum, ſi, qui immunda conſcientia Chriſti corpus accipiunt, idem ſupplicium ſubeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt? Hinc efficax habes argumentum, ſi aduertis. NEOPH. Cuius rei? Ego certè nihil inſigne in illis uerbis deprehendo. ORTH. Imperatoris purpuram quidam ſcindunt, quidã maculant, utrique eadem pœna plectuntur. Hic regiam, ſiue purpuream ueſtem, aſſimilauit Chryſoſtomus ſplendidæ, & glorioſæ carni Chriſti, quæ eadem exiſtens, ut purpura, ſcinditur in cruce, conculcatur ab impuris conſcientiis in ſacramento: utriuſque facinoris eadem eſt pœna, æterna damnatio. Quid ſtas?

Epilogus.

Aug. tractatu 27. in Ioan.

Chryſoſt. homil. 45. in Ioan. Item ad pop. Antioch. homil. 61.

itá ne tardus es, ut adhuc non assequare? Nimiũ aperta est ista ratio. Quemadmodũ eadẽ est purpura, quæ scinditur, & quæ polluitur, ita & caro Christi eadem, quam Iudæi olim dilacerauerunt, & quam immundi, & impuri homines hodie conculcant, & indignè accipiunt. NEOPH. Abundè satis nunc assequor.

August. li. 5. cõtra Donatist. cap. 8.

ORTHO. Huic accedit Augustinus in hæc uerba: Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locũ in se diabolo præbuit: sic indignè quisque sumens dominicũ sacramentum, non efficit, ut, quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil accipit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. hæc Augustinus. Malum, inquit, non est, quod Iudas accepit, neque nihil est dominicum sacramentum etiam in malis. Quid ergo est illis? Respondet: Corpus enim Domini, & sanguis Domini est etiam illis. Taceo hîc causalem illam coniunctionem, qua non tam rationẽ subiunxit eius, quod præcessit, quàm explicuit. Illud cedo: quid sibi uult particula affirmandi, etiam? ne ullus sit locus tergiuersandi, aut quoquo pacto eludendi, etiam illis, inquit, corpus Domini est. Si ergo corpus eius est bonis, ad uitam, quod Christus affirmat, idem etiam corpus erit malis ad cõdemnationem, quod ex Paulo Augustinus demonstrat. Sed ista monuisse sat est. Sũt enim minutiora, quàm ut referre opus sit, nisi quod te mo-

nere

nere uelim, attentius ut legas quæcunque posthac ex hoc authore lecturus es. Et propterea illud de buccella attingam. Nam uideri potest oscitanti lectori, de ea dixisse, quòd malum non sit (sicut neque erat) quódq; eam uocauit sacramentum & corpus Domini: sed nõ ita est: idcirco enim interiecit ea uerba (uidelicet, cui buccellam tradidit Dominus) ne in persona esset error. Erat enim alius ab eo, cui buccellã tradidit, qui etiã dictus est Iudas, ut Euangelista ait: & propterea, ut non hunc, sed illum designet, hoc addidit: quo sublato, sermo nihilominus integer manet. At, ne uidear ex me dixisse, ipsum audi. Non, inquit, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit. Intelligẽdum est enim, quòd iam omnibus distribuerat Dominus sacramentum corporis, ubi & Iudas erat, sicut sanctus Lucas euidentissimè narrat. Ac deinde ad hoc uentum est, ubi secundum narrationem Ioannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam, suum exprimit traditorem. Vel hinc discas, Augustinum sensisse, ueritatem corporis prius Iudam accepisse, & non panem triticeum, qui per aluum emittitur, qualis erat buccella. Nam Eucharistiam passim sacramentũ, passim corpus Domini asserit. quod planè de buccella intincta negat. Idem contra Petillianum: Quis nostrum dicit esse participationem iustitiæ cum iniquitate, etiam si iustus & iniquus, sicut Iudas & Petrus pariter sacramenta communicent? Ex una quippe re sancta, Iudas sibi sumebat iudicium, Petrus salutem.

Luc. 9.

In Ioã. tract. 62.

Lib. 2. ca. 40.

Atque hîc obiter (quo hanc Augustini sententiam, quæ frequens illi est, plenius intelligas) non abs re fuerit uenerabilis Bedæ testimonium interserere. Is enim, non solùm uerborum, sententiarúmque illius ubique uerus expositor, uerumetiam doctrinæ fideíque sinceritate incorruptus imitator extitit. qui de impij Iudæ sceleratis imitatoribus sic scribit: Sed & hodie quoque, & in sempiternum uæ homini illi, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui præcordiis aliquo scelere pollutis, mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Et ille quidem in exemplum Iudæ filium hominis tradit, non quidem Iudæis peccatoribus, sed tamẽ peccatoribus, membris uidelicet suis, quibus illud inæstimabile, & inuiolabile corpus Domini uiolare præsumit. hactenus Beda. Iudas, inquit, tradidit filiũ hominis, peccantibus nimirum Iudæis: & qui pollutus accedit, eum item tradit peccantibus, sed membris suis, quibus tam pretiosum sacramentum accipit, nempè manu iniqua, labiis dolosis, ore sacrilego, lingua mendaci, corde subdolo: his, inquam, membris, atque adeò toti homini peccatori Dominum tradit, & ueluti alter Iudas existit, qui contaminata conscientia hîc audet accumbere, & mysteriorum mirabilibus secretis participare. NEOPH. Cur obsecro mysteriorum secreta appellat? ORTH. Secreta uocat pius iste, quòd sub iis mysteriis, quæ sacramenta uocamus inuisibilia, caro & sanguis Domini occultè lateant. Quin & hoc obserua, quòd tria hæc, nimirum,

Beda in homil quadrag. feria 4. palmarum super illud. Appropinquabit dies, &c.

Superius in Catalog uide singula, in uocabulo corporis, & sanguinis.

rum, SECRETA CHRISTI MYSTERIA, FILIVM HOMINIS, CORPVS INAESTIMABILE, tanquam unam rem posuit. Atque illa ipsa secreta Christi mysteria, illum filium hominis, illud idem corpus inæstimabile, & inuiolabile, peccatores assumere, nō minus certa, & indubitabili, quā perspicua sentētia definiuit. Sed ad Augustinū reuertor, qui aduersus Cresconiū de Cypriano ait, quòd ad altaria eadē cum malis consistebat, eadē sacramenta, eundémque sacratissimum cibum potúmque sumebat. Ecce, iterum Petrus & Iudas, teste Augustino, una re, & quidem sancta uescuntur. Non Iudas nudo tantùm externóque sacramento (quod foris apparet) Petrus ex secreto, quod abditè latet, sed ex secretis uterque, corpore, uidelicet, & sanguine Domini: ex una re, inquit, uno corpore inuiolabili atque inæstimabili, ut Beda interpretatur. Neque hîc mihi dicant, gratiā, corporis uirtutem, effectúm ue secreta uocari, quum Iudas expers gratiæ prorsus extiterit: qui tamen secretorum (si Bedæ credimus) corporis & sanguinis, particeps fuit: item mali non quemuis, sed sanctissimum cibum & potum cum Cypriano acceperunt. Et quis cibus, quis ille potus sanctissimus, quem cum malis communem habuit sanctus martyr, quem ab uno eodémque altari accepit, nisi unum idémque sanctissimum corpus, nisi sanctissimus sanguis ipsius Domini Iesu? Quamuis enim unum non sint, qui Dei sacramentum dignè, & qui indignè tractauerint, unum est tamen illud, siue dignè, siue indignè tracte-

Lib. 4. ca. 19.

Augu. contra Petil. li. 2. ca. 37.

tur,non ut ipſum melius, deteriúsue fiat, ſed ad uitam, mortémue tractantium:in ſe, inquam, unum, corpus enim & ſanguis Domini nihilominus erat illis.Et illud,nihilominus,quid eſt? quam uocem penè præterieram. Non minus, inquit, ſumunt mali, imò,ut eandem omninò rem exprimat,utque in nullo,quantum ad ſubſtantiam, diſcrepans eſſe cõmonſtret,ait,nihilominus etiam erat illis:id,inquã, quod ſumebãt, erat corpus & ſanguis Domini, quibus dixit Apoſtolus,Qui manducat & bibit indignè,iudicium ſibi manducat & bibit. Ex una enim re ſancta, nempe corpore & ſanguine Domini, & Petrus, & Iudas: Iudas, quia indignè, exitium: Petrus, quia dignè,ſalutem accepit. Salutem dicit, non corporis, ſed magis animę, quam non terrenus panis,ſed cæleſtis,ut iam dictum eſt,præſtare ualet.Huius rei conſideratione,duplicem ſacramenti rationem conſtituit Cyprianus: alteram, qua per ſe abſolutum, & ſuapte natura perfectum eſt, quatenus ſcilicet à Deo inſtituitur: & ita ſine propria uirtute eſſe non poteſt, nec ullo modo, diuina ſe abſentat maieſtas myſteriis: alteram,qua accommodatum eſt ad nos, inque uſum noſtrum cedit. quo modo, quanuis mali ſumant ipſiſſima ſacramenta,quæ & boni, tamen ſpiritus participes non fiunt,quia infidelitas, uel indignitas,tantæ ſanctitudini contradicit. Vnde facilis reſpõſio eſt, ſi quando uel ipſe, uel alius quiſpiam ueterũ, dicere uideatur malos non ſumere, neque participes eſſe corporis & ſanguinis Domini, ſi animaduertas,

Cyprianus de cœna Domini.

quid

quid eo ſermone uelint. Significant enim, quòd quanquam mali, idem corpus, unam dico, & eandem rem, acceperint, tamen quia unitatem, quæ etiam iſtius ſacramenti res eſt (ſine qua caro non prodeſt quicquam) non habent, digniſſimum corpus Chriſti aſſumere nequaquam dicuntur: non quòd non ſumunt, ſed quia indignè ſumunt. Qui enim, ut idē Auguſtinus ait, non manet in Chriſto (per fidem uidelicet) & in quo Chriſtus non manet (nimirum per dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem) proculdubio nō manducat ſpiritualiter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter & uiſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Nequaquam ſimpliciter dixit, quòd malus carnem Chriſti non manducat: ſed ſpiritualiter, inquit, non manducat, quia ſine fide, quia non manet in Chriſto, & unitatem eius non habet. NEOPH. Quantum intelligere poſſum ex tuo ſermone, credidiſſe in Chriſtum, aut in eo manſiſſe, comediſſe eſt, cui libenter & illi acquieſcunt. ORTH. Vt ſemper es intempeſtiuus? Credere in Chriſtum, eſt manducare, nemo negat. Sed audi porrò: ut uerum ſit, quòd credere, aliquādo dicatur comedere, ita uanum eſt credere, fidem ubique corporis & ſanguinis Chriſti comeſtionem eſſe. ut qui credit, idem continuò ob idipſum, ſacrum Chriſti corpus manducet. Catechumeni enim (quod infallibili Eccleſiæ regula exploratum habemus) quāuis fidem iam edocti, ueritatem cognouerint, quāuis Chriſtum magna, & uera uoce palam confiteātur, &

Auguſt. tract. 26. in Ioan.

in nomine Iesu firmiter credant, tamen (quod antè ex Augustino annotauimus) non se credit illis Iesus, nisi baptismate cõsummatis, quo potiti, iam apti reddũtur, & idonei, qui sacræ huic mensæ accumbant, ut qui ante baptismum, fidem habuerant, quique in baptismo spiritu sancto locupletati, in Iesum crediderant, iam se Iesus illis totum in Eucharistiæ sacramẽto concredat, & ueluti in unam massam (ut ille loquitur) redigat. Item manere in Christo, est manducare: fatemur. Nihilominus tamẽ accipere corpus Christi in sacramento, item manducare est, sed non solùm. Debent enim hæc duo coniungi, spiritualis, inquam, sumptio, & corporalis. ut scilicet maneas in Christo, & deinde ad Eucharistiam accedas. Alterutra enim Ecclesiastica uoce, manducatio, & est, & dicitur. Hinc enim litigabãt Capharnaïtæ (ut Augustinus ait) quòd quomodo detur hæc caro, & quisnam esset modus manducandi hunc panem, ignorabant. Veruntamen si propriè loqui uolumus, manere in Christo, potius signum eius, quòd quis dignè manducauit, & bibit corpus & sanguinem Christi in sacramento. Id quod Augustinus quodam in loco luculenter sanè ostendit. Est, inquit, hic sermo de corpore Domini, quod dicebat se dare manducandum propter uitam æternam. Exposuit autem modum attributionis huius, & doni sui, quo daret carnem suam manducandam, dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Signum quia manducauit, & bibit, hoc est, si manet & manetur, si habi-

Tract. in Ioã. 26.

Tract. in Ioã. 27.

habitat & inhabitatur,ſi hæret & non deſeratur. Hoc ergo nos docuit, & admonuit myſticis uerbis, ut ſimus in eius corpore,ſub ipſo capite in membris eius, edentes carnem eius, & non relinquentes unitatem eius. hæc ille. Vbi notandum, quòd ſextum caput Ioannis de corporali manducatione intelligit. Ait enim Chriſtum illis uerbis (Qui manducat carnem meam,& bibit ſanguinem meũ, in me manet,& ego in illo) modũ expoſuiſſe, quo huius doni, id eſt, carnis ſuæ participes eſſemus, & hoc eſſe ſignum, quòd rectè mãducas corpus,ſi maneas,ſi inhabites,ſi inhæreas,fide uidelicet operante.Signum,inquit, hoc eſt: cuius rei? manducationis non ſpiritualis. Nam hoc ipſũ manere, habitare,inhærere Chriſto,eſt ſpiritualiter Chriſtũ manducare. Non ergo eſt ſignum eius, ſicut nec ualetudinis ſignum eſt ipſa ualetudo,ſed alterius ſignum eſt, nempè corporalis: quòd uidelicet rectè, dignéque uerũ corpus eius in ſacramento mãducas. Dedit præterea, ut ait, carnem manducandã, & modum, ſeu rationẽ, qua manducetur,expoſuit, ut ſcilicet maneas in Chriſto. Ratio autem,& modus diuerſus eſt,& ſuapte natura diſiunctus,à re,cuius eſt modus. Quo fit,ut credere in Chriſtũ,aut manere in Chriſto, quod eſt ſpiritualis manducatio, ſit ueluti uia, ſine qua corpus Chriſti in Euchariſtia nequit dignè comedi, nec ſanguis eius cum fructu potari, licet ſine illa, in eodem ſacramento, & habeant, & manducent idem corpus, & eundem ſanguinem bibant,ad iudicium, mali. Hanc cautionem apud Au- *Concluſio.*

guſtinum, & alios, diligenter obſerua: modum enim manducandi ipſam carnem, & bibendi ſanguinem, ab ipſa carnis ſeu corporis eiuſdem manducatione, ferè ubique accuratè ſecernunt, ac ſeparant. Sed omiſſis cæteris, ſolus ille, quem fruſtrà totum ſibi uendicant, nunc eos expugnet. Auguſtinus igitur de uerbis Domini in Matthæum, quænam ſit ea ſpiritus ſancti blaſphemia, quæ nunquam remittatur, inueſtigans, nonnullos ſcripturæ locos dicendi forma conſimiles, pro illius explicatione adducit: in quibus eſt, Qui manducat carnẽ meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Quomodo, inquit, intellecturi ſumus? Nunquid etiam illos hîc poterimus accipere, de quibus dicit Apoſtolus, quòd iudicium ſibi manducent & bibant, quum ipſam carnem manducent, & ipſum ſanguinem bibant? Nunquid Iudas magiſtri traditor, & uenditor ipſius, (quanuis primum ipſum manibus ſuis confectum ſacramentum, carnis & ſanguinis eius, cum cæteris diſcipulis, ſicut apertius Lucas Euangeliſta declarat, manducaret, & biberet) manſit in Chriſto, aut Chriſtus in eo? Multi denique, qui uel corde ficto carnem illam manducant, & ſanguinem bibunt, uel cum manducauerint, & biberint, apoſtatæ fiunt, nunquid manent in Chriſto, aut Chriſtus in eis? Sed profectò eſt quidã modus manducandi illã carnẽ & bibendi illum ſanguinẽ, quomodo qui mãducauerit & biberit, in Chriſto manet, & Chriſt⁹ in eo. Nõ ergo quocunque

Homil. 11. Item de conſecrat. diſt. 2. cap. quid eſt.

Notẽtur uerba.

quocunq; modo quiſq; mãducauerit carnẽ, & biberit ſanguinẽ Chriſti, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus, ſed certo quodam modo: quem modũ utique ipſe uidebat, quando iſta dicebat. Sic igitur, & in eo quod Chriſtus ait, Qui blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, non quocunque modo blaſphemauerit, reus eſt huius irremiſſibilis delicti, ſed modo quodam, quem nos quærere aut intelligere uoluit, qui hanc ſententiam ueram, terribilemque deprompſit. hactenus Auguſtinus. Vbi multa ſunt nobis dicenda, ſed aliò propera-
1. mus. Illud obiter tamen animaduerte, malos, qui uel ficto corde accedũt, uel poſt apoſtatæ fiunt, illam ipſam carnem manducare, ipſumque ſanguinem bi-
2. bere: ſimul & illud, quòd ſacramentum carnis, ac ip-
3. ſam carnem pro uno eodemque poſuit. Adde quod ſextum caput Ioannis refert ad Euchariſtiam quàm
4. planiſſimè. Cęterum, quod nos hîc potiſſimùm quærimus, tam luculẽter expreſſit, ut nemo magis. Vtrique (nimirum, tam boni quàm mali) manducant: manducant autem (ut ait) illam ipſam carnem in ſacramento. NEOPH. Quum igitur hîc pares ſint & eiuſdem rei participes, ubi diſſimilitudo? ORTHO. Huic ipſe occurrens ait: Eſt profectò quidã modus, manducandi illam carnem, & bibendi illum ſanguinem, quo modo qui mãducauerit & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo. Hinc uidemus carnem & ſanguinem Chriſti non prodeſſe quicquam, niſi maneamus in Chriſto, niſi uſque ad ſpiritus partici-

pationem mãducemus & bibamus. Atq; hic eſt certus ille modus quem dicit, quem modum, inquit, ipſe uidebat. Quid eſt, quæſo, modũ uidebat? niſi in re ſuſcepta, id eſt, carne Chriſti & ſanguine, nullum omninò diſcrimen? quaſi dicat, Eſt quidem inter eos diſcrimen, ſed tantùm in manducandi modo, quem modũ utique ipſe uidebat, quum dicebat, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sanè uerò, niſi illam ipſam carnem utrique manducarent, ratio Auguſtini penitùs euanuit. Sicut enim omnis blaſphemia in ſpiritũ ſanctum, uerè blaſphemia eſt, ſed non quocunque modo quis blaſphemauerit, reus erit huius irremiſſibilis delicti, ita etiam mali, carnem & ſanguinem Domini in ſacramento manducantes & bibentes, illam ipſam, ut ait, carnem, & ipſum ſanguinem manducant & bibunt: non tamen ſic manducant, non ſic bibunt, ut conſtituti in corpore Chriſti, ſint membra eius. Idcircó ne digna, aut iuſta cuiquam illatio uidebitur, propterea non manducant omninò uerum corpus Chriſti, quia eo modo, quo boni, non mãducant? perinde enim dixerit quiſpiam, Hic homo non blaſphemat in ſpiritum ſanctum, quia æterni illius delicti reus non agitur: id quod, neque uerborum, neque rerum conſequẽtiam ullam habet. Quamobrem, ſi huius cautionis diligẽs obſeruator fueris, hac difficultate temetipſum facilè explicabis. Quin ut hunc eſſe genuinum illius uiri ſenſum clarè intelligas, poſtquam uerba Domini apud Ioannem fusè

Tractatu in Ioan. 27.

ex-

explicuerat,tandem in epilogo ſic habet: Hoc ergo totum ad hoc nobis ualeat, dilectiſſimi, ut carnem Chriſti, & ſanguinem Chriſti nõ edamus tantùm in ſacramẽto,quod & multi mali,ſed uſque ad ſpiritus participationem, ut in Domini corpore, tanquam membra maneamus. Attende ergo: non dicit carnẽ Chriſti ſimpliciter, neque carnis ſacramentum: Sed mali, inquit,edunt carnem in ſacramento, & tãtùm carnem edunt:boni uerò eandem, ſed uſque ad ſpiritus participationem. Ecce iterum idem diſcrimen. Rurſus contra Petillianum: Quid dementius, quàm ſacramẽtis Domini communicare, & uerbis Domini non communicare? Hi utique dicturi ſunt, In nomine tuo mãducauimus & bibimus: & audituri, Nõ noui uos, qui corpus eius & ſanguinem in ſacramẽto manducant & bibunt, & membra eius, toto orbe diffuſa in Euangelio non agnoſcunt, & ideò cum eis in iudicio non computantur. Notentur uerba: Mali, inquit, manducãt. & quid manducant? Non dicit ſacramentum, ne erres nominis ambiguitate, ſed utrobique in ſacramento corpus & ſanguinem. Quod illic, carnem Chriſti & ſanguinem, iſthic corpus & ſanguinem Chriſti nominat. Quid (inquit idẽ Epiſcopus) de ipſo corpore & ſanguine Domini, unico ſacrificio pro ſalute noſtra, cùm ipſe Dominus dicat, Niſi quis manducauerit carnem meã, & biberit meũ ſanguinem, nõ habebit in ſe uitam æternam. Nónne idem Apoſtolus docet etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri? Ait enim, Quicunque manducaue-

Lib. 2. ca. 55.

Aug. contra Creſco. lib. 1. cap. 25.

rit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Hũc ſermonẽ tametſi ſuperius attigimus, attamen, quia huic pedi (quod aiunt) maximè uideatur conuenire, eundem hîc rurſus inſerere, & noſtro more diſcutere haud piguit. Illius igitur ſermonis ſcopus hic eſt: unum & idem baptiſmi bonum ſacramẽtum, quibuſdam ſalutiferum, quibuſdam perniciosum eſſe. Ad quam rem comprobandam, cùm multa undique exempla attraxiſſet, tandem hoc inſigne, & inter alia maximè conſpicuum ac illuſtre poſuit, corpus uidelicet, & ſanguinem Domini: quod aliis ad uitã, aliis ad mortem manducatur. Et hoc imprimis exemplo, dogma illud Creſconij, quo bona Dei ſacramenta (quæ etiã apud hæreticos eſſe ſancta, non utilia ipſe Auguſtinus conceſſit) ubique ſalutem afferre cõtendit, funditus euertit. Principio, quî fit, ut ſuapte natura bonũ, perniciem afferat? NEOPH. Me uis? ORTHO. Te. NEOPH. Pro me Auguſtinus reſpondeat. Fit hoc ipſius boni abuſu. ORTHO. Cedo rurſus: quid illud eſt, quod boni manducant? NEO. Ipſum corpus Domini unicũ ſacrificium pro ſalute noſtra. ORTH. Tantúm ne? NEOPH. Imò uerò idem, ut ait, unicum ſacrificium pro ſalute noſtra, edunt etiam & mali. ORTHO. Hoc agis uideo. ſed ubi diſcrimen? NEO. Quod hi ad mortem, illi ad uitam manducant. ORT. Idipſum rogo unde? NEOPH. Dixi iam, ipſius boni abuſu. ORTHO. Concludamus ergo, quòd ipſum corpus Domini, unicum ſacrificium pro ſalute no-

ſtra,

ſtra,dum manducatur,aliis ualet ad regnum,aliis ad iudicium. NEO. Teneo:ſed quonam ſcripturæ teſtimonio hoc probamus? ORTH. Quid? NEO. Quòd idem corpus unicum ſacrificium pro ſalute noſtra mali edũt. ORTH. Neque hoc reticuit Auguſtinus, ſed ut conuincat, Apoſtoli teſtimonium non minus peritè, quàm fortiter ſub interrogatione in Creſconium,atque adeò omnes reluctantes cõtorſit. Nónne,inquit,idem apoſtolus (nam de illo prior ſermo fuit) docet etiam hoc perniciosum malè utentibus fieri? Aduerte.prius,ipſum corpus Domini,unicum ſacrificium pro ſalute noſtra,bonos(quod nemo bonus negat)manducare dicebat. Hîc autem affirmat, etiam hoc,nempe ipſum corpus Domini, unicũ ſacrificium pro ſalute noſtra malè utentibus,id eſt, indignè manducantibus(hoc eſt enim malè uti, indignè manducare) perniciosum fieri. Illud nota, positum ab Auguſtino exemplum, quod ſine omni ambiguitate utriſque, & bonis, & malis,ſemper idẽ eſt, ipſum dico corpus Domini,unicum ſacrificium pro ſalute noſtra. Enimuero,ne (quod fieri ſolet) quiſpiã ſacramenti nomine,quod uarium eſt, ac multiplex, quoquo pacto ſubterfugiat, ipſum, & unicũ ſacrificiũ,addidit:De ipſo,inquit, corpore Domini unico ſacrificio pro ſalute noſtra dictum eſt, Niſi quis mãducauerit carnem meam,& biberit meum ſanguinẽ, non habebit in ſe uitam æternam. Quod ipſum corpus Domini,unicum ſacrificium pro ſalute noſtra, mali in ſuam perniciem,& interitum ſumunt.Etiam

hoc,hoc inquam corpus Domini unicum ſacrificiũ pro ſalute noſtra,malè utentibus fit perniciosum.Iſta ſic repetere mihi moleſtum, & tibi penè ſuperfluum eſt,niſi quod uolebam menti tuæ altius infigere. Denique (quæ in exẽplis idem premiſit) quemadmodũ lex,ſiue malè, ſiue benè ea utantur homines, eadem eſt:itidem & ſcientia eadem, ſiue cum charitate ædificet,ſiue abſque ea inflet,in ſe,inquam,penitus eadẽ: ita & corpus Domini unicum ſacrificium pro ſalute noſtra, idem eſt, ſiue à bono,ſiue à malo manducetur.id quod ſanctus ille ex iſta ſcripturarũ collatione(quod genus interpretandi eſt optimum) manifeſtè demonſtrauit. Vbi & illud præterea aduertendũ, quòd Paulus panem dixit, & calicem, hoc Chriſtus (Auguſtino exponente) carnẽ appellauit, & ſanguinem: Auguſtinus autẽ,ipſum corpus Domini unicũ ſacrificium pro ſalute noſtra. Ex quibus tandẽ, haud obſcurè duplicem hanc(quam dixi) perſtrinxit manducationem. Alteram non panis,neque ſigni,aut figuræ,non ſacramenti(quod à malis etiam manducari nemo negauerit) ſed ipſius corporis, ipſius carnis Chriſti in ſacramento,quæ tamen in malis, non eò pertingit, ut ſint beatæ illius unitatis (quæ præterea res eſt ſacramenti, & quidem præcipua) participes. Alteram uerò,qua ipſam eandem carnem ita mãducamus,ut ſimul in Domini corpore,tanquã membra maneamus, eiúſque ſpiritu uegetemur. Hinc ergo apud ueteres quandoque dicuntur non manducare, quia ad ſalutem non manducant: & rurſus, manducare,

care,quia ad iudicium manducant,id quod pluribus iam demõstrauimus. Quid,quod spiritus sancti muneribus quidam imbuantur, usque ad miraculorum operationem,ita tamen,ut nihil eis profuerit spiritus ille ad uitam,imò potius ad maiorem condemnationis cumulum. Nihil itaque prohibet, quin corpus Christi uerè recipiant mali,habeántque, qui & spiritũ possunt habere. Nam, ut hoc in cælo esse uerè creditur,ita & hunc effugere fictum, seque auferre à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu,in scriptura nõ minus uerè narratur. Quòd si dixerint,adest quidem spiritus ille uerus,sed sine fructu,nobiscum sentiunt. Idem enim & nos de ueri corporis sumptione,modis omnibus contendimus: ut propter abusum tam isti, quàm illi, nihilominus indigni regno cælorum iudicentur. An non etiam scriptura sic loquitur? Omni habenti dabitur,& abundabit. Ab eo autem qui non habet, id quod habet,auferetur ab eo. Aut nunquid piger ille, & inutilis seruus talentum non accepit? Quod habet, inquit Dominꝰ, auferetur ab eo: quod non habet, auferri quidem nullo modo potest. Habuit ergo reuera, sed quia aliud non habuit, nempe charitatẽ utẽdi (sine qua & cætera omnia sacramenta malis inesse possunt,prodesse nõ possunt) habens quidem,non habere dicitur, ꝙ non rectè utitur: & proinde nec habet,qui tamẽ habet,sed frustra habet. Vnde prouerbio decãtatũ est,Frustra habet qui non utitur. Simili quoque modo,accedentes ad Eucharistiã, quamuis sint mali,dicimus eos & habere,& accipere

Aug. in ser. supergestis cũ emerito.

corpus ſanguinémque Chriſti, quia tamen non ſunt in Chriſtianorum compage membrorum, uerè quidem habentes non habent, & uerè ſumentes non ſumunt. Hoc eſt (ut uno uerbo dicam) uerè habent, quantum ad corporis ſubſtantiam, non uerè, quantum ad unionis gratiam: uerè, quoad præſentiam corporalem, non uerè, quoad ſpiritualem manſionem: uerè dico, quatenus ſubſtantiæ ueritas adeſt, non uerè, quatenus effectus gratiæ abeſt. Nimirum quia indignè ſumunt, quando ſumunt, quæ indignitas, ſi malus es, non in re, ſed in te eſt, non in corpore Chriſti, quod eſt ipſa ſanctitas, ſed in tuo animo, ubi non adeſt charitas, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, utique ſpiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam. En autem, appoſitè huc ſeſe reflexit oratio. Hæc enim Euãgeliſtæ ſententia, malorum occaſione, relicta eſt: quam ſi hodie abſoluero, cætera in craſtinum dimittam. Caro, inquit Seruator, non prodeſt quicquam. Ac ſi dicat, carnalis ille ſenſus ueſter, atque adeò caro mea, modo quo uos putatis, ut ſcilicet mortua ſit, ſine ſpiritu, quomodo in cadauere dilaniatur, & in macello per fruſta uenditur, non prodeſt quicquam. Prius uitæ effectum ſuo corpori tribuit, nulla facta mentione ſpiritus: Niſi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis. Hîc rurſus, eundem ſpiritui tribuit, ſed ita, ut carni penitus auferre uideatur: Caro, inquit, non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui uiuificat.

ficat. Quibus uerbis, utrãque ſui naturam nobis declarauit, & humanam, & diuinam. Humanam per carnem, per ſpiritum, diuinam ſubſtantiam ſignans. utrũque enim, iuxta quorundam interpretationem de ſe dicit. Iam, cùm illud de carnis ſuæ manducatione diceret, ne quis crederet de Chriſto carnali, Chriſtum ea dicere: de carne, inquam, ſola, quòd uitam donaret, ſicut uerba innuunt, explicans ſubiunxit, Spiritus eſt qui uiuificat, caro nõ prodeſt quicquam. Quaſi ad hũc modum eos alloqueretur: Dixi uobis, ô Capharnaitæ, quòd manducanda eſſet caro mea, unde uitam haurire liceat. Ego, inquit, uobis comedendus uenio, qui ſum filius hominis: dictu quidem horrendum, ad quod humanæ aures expaueſcunt. propterea qui habet aures audiendi, audiat, & intelligat quis ſit ille filius hominis. Non eſt caro ſola, nõ anima ſola, ſed neque ſolus ſpiritus. Si totum cupis, inquit, eſt ſpiritus, anima, caro. Sed ſpiritus eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicquam. per ſe, inquam, non prodeſt, ſed beneficio ſpiritus, fit caro filij hominis, cibus cæleſtis, quæ reuera comeditur, non more carnalis cibi, qui in fruſta diſcinditur, ſed in ſacramento, ubi nulla carnis laceratio timetur: opera, inquam, ſpiritus hoc totum peragitur. Quia enim hæc caro, quam induit, per ineffabilẽ unionem, ſpiritui, ſeu uerbo unitur, & iam propria facta eſt uerbi, fit, ut ipſa quoque tota efficiatur uiuifica, niſi ſpiritum ſanctum non uiuificare contendamus. Et proinde non ſoli carni, ſeu corpori Chriſti hoc tribuimus, quòd *Cyrillus.*

prodeſt,quòd uiuit,quòd uiuificat, ſed magis ſpiritui. Atq; ideo ſubiicit, Verba quę ego loquutus ſum uobis,ſpiritus, & uita ſunt:hoc eſt non ſecundũ carnem, ſed ſecundũ ſpiritum intelligenda. Sunt enim uerba non carnis, ſed uiuificantis ſpiritus. Spiritum autem (ut Cyrillus ait) hoc in loco, ipſam carnem nuncupauit,non quia naturam carnis amiſerit, & in ſpiritum mutata ſit, ſed quia ſummè cum eo cõiuncta ſit,totam uiuificandi uim hauſit. Et ne hæc eius interpretatio alienior prima fronte quibuſdam uideatur,ſic præmollit: Nec turbari propter hoc decet, nam qui Domino cõglutinatur, unus cum eo ſpiritus eſt: quomodo igitur caro ſua una cum eo non appellabitur?Non ſunt,inquit Dominus, uerba mea carnalia,ſed ſpiritus ſunt,id eſt,ſpiritualia, & de ſpiritu & uita, hoc eſt, de uiuifica & uita naturali profecta. Qui ea ſecundum carnem intelligit, nihil lucratur. Carnaliter autem intelligere, quid eſt aliud, quàm omnia iuxta ſenſus noſtri cognitionem metiri,& ſimpliciter ut res dicuntur accipere? Imò ſacramentum hoc (ut cætera omnia) interioribus oculis humiliter cõſiderare, & fide uerbis Domini adhærere oportet.Nam uerbis eius defraudari nullo modo poſſumus, quòd quia nondum myſterij huius formam & diſpenſationem pulcherrimam nouerant Capharnaitæ,ad immanes ferarum mores uocari ſe à Chriſto arbitrãtur. Et quia ſine fide Iudaicum illud, quomodo,eructabant,quomodo id fieri poſſit, non enodauit,ſed credentibus diſcipulis,in cœna illa formidoloſa

Cyrillus lib. 4. in Ioã. ca. 22.

midolosa panem accipiens,& benedicẽs,ait, Accipite, & manducate: hoc est corpus meum. & calicem similiter circumtulit. Bibite, inquit, ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. Perspicis, inquit Cyrillus,quia sine fide quærẽtibus mysterij modum nequaquam explanauit,credentibus autem, etiam non quærentibus exposuit. Ex quibus tandem uides nequaquam effici,quo minus tradatur uera caro in sacramento fidelibus uerè manducanda: sed quia carnaliter manducanda non uenit,carnaliter, inquam, ut stultè existimauerunt Capharnaitæ, sicut alios cibos carnales,carnaliter & propria specie dilacerantes sumimus:sed speciali quodam modo,præter consuetudinem escarum carnaliũ,uti abundè iam diximus. Et hæc quidem hactenus de scripturis, quæ in determinatione positæ sunt.Iam tempus monet, ut filum hoc abrumpamus:quæ supersunt, crastino die, si fieri potest, explicabimus. Tu Neophyte, interea loci(ut decet) quæ diximus,quò tuæ memoriæ fixius inhæreant,diligenter rumina. Ita enim fiet, ut neque ego ab aliis uerba in uentum profudisse existimer, quò suscepti laboris me aliquãdo pœniteat, neq; tu à nobis sine fructu audiuisse uidearis,ut negligentiæ tuæ te olim pudeat. NEOPH. Curabo sedulo. Vale. ORT. Et tu uicissim.

Secundi libri finis.

CATHOLICAE CONFVTATIONIS IMPIAE CVIVSdam Determinationis D. Nicolai Ridlæi, eo tempore ſedem Epiſcopalem apud Roffam occupantis, poſt diſputationem de Euchariſtia in Academia Cantabrigienſi, habitæ, Liber tertius.

Authore Albano Langdailo Archidiacono Ciceſtrienſi apud Anglos.

INTERLOCVTORES.

ORTHODOXVS. PVER. NEOPHYTVS.

HEVS Puer, ſi Neophytus aduenerit, quamprimũ ad nos intromitte. PVER. Iam diu hîc morã contraxit. NEOPH. Salue plurimum. ORTHO. Tantundem ſalutis tibi reprecor. Sed cur nõ euocaſti me? NEOPH. Quòd uerebar ſtudia tua interrumpere. ORTH. Heſterna deambulatione, uterque credo nonnihil laſſitudinis cõtraxit. Quamobrem in hortum

tum hunc ſecedamus,ubi pro arbitratu, uel ambulare, uel ſub pampinis ſedere ſine turba licebit. NEO. Sequor. ORTH. Secunda prioris controuerſiæ pars, quæ ordine nobis tractãda uenit,minus habet uiriũ: tantùm enim dicit,patres contrarium eius,quod nos tuemur,ſentire ac docere. Neque abſolutè hoc, ſed ut ego,inquit,accipio. Rectè iſtuc quidẽ:neq; enim determinatio,eorum ſententiis (niſi ipſa interprete) ſtabit unquam. Quid igitur?Illa ait: nos diffitemur: nimirum peracta iam hæc fabula eſt. Sed ne uideamur quouis modo ſubterfugere,age, uideamus ſingula. Atque exorditur quidem ab antiquo illo Dionyſio,ipſa canitie uenerando,qui cum cæteris eccleſiæ filiis contra matrem pugnare nolentibus, ſic intruditur:Dionyſius,inquit, ſępe uocat panem. Quid tum poſtea? Ipſe Dominus ubique corpus ſuum appellat. Id Paulus poſtquam ab eo didicerat,continuò reos eſſe,non panis,ſed corporis & ſanguinis Domini clamat,omnes quotquot ipſum corpus indignè edunt, eoſdemq; iudiciũ ſibi manducare,qui non diiudicãt corpus Domini. Quàm iniqua eſt hęc collatio,quàm impar congreſſus? At enim, inquis, Diuus Paulus appellat panem. Verum. Sed neuter, quod in calice eſt,uinum nominat. uocat panem, ſed cũ neceſſaria appendice,qua illum non terrenum, ſed cæleſtem demonſtrat. dominũ ſuum imitatus, qui ita explicuit,ut eſſet panis ille,tradendus pro mundi uita:ſic Dionyſius panem appellat, ſed ſanctum, illum ipſum, qui eſt panis uitæ,deſignans: cuius,dum frã-

Secundum firmamentũ demolitur.

Dionyſius.

gitur,unitas,inquit,multiplicatur,istiusmodi sectionis naturã singularem esse demõstrans. Etenim dum panem cõmunem frangimus,quod unũ est, in plures partes diuidimus,ut autem hunc unũ,atque integrũ plures percipere intelligamus,unitatem illã non partiri,non secari, aut diuidi,sed eam ipsam, propria natura permanente, multiplicari dixit. Quòd si ex uoce quicquã rectè colligimus,idem uocat communionẽ,præ cæteris omnibus sacramentis summè laudandã:quæ appellatio,quãuis aliis etiã, quòd in unitatẽ colligunt,conueniat,huic tamẽ mysterio,ut ait, peculiariter attribuitur,ꝓ aliorũ omniũ finis, perfectio,& cõplementum sit.Est enim hæc, non quæuis, sed deifica communio,ut ille loquitur. Videas præterea hanc,qua de sermo est,Eucharistiã multis, ac magnis elogiis (quæ suprà attigimus) apud eũdem insigniri,ut plusquam uanũ sit, istiusmodi argumenta producere:uocat panem, ergo est terrestris. Quanto melius,& fortius cũ eo argumentamur ab effectu, ꝓ scilicet,ea purgatio, quæ baptismo fit, quanquã,aliquatenus in se perfecta,sine Eucharistia tamẽ imperfecta uideatur.Purgat quidem,ut ait,& illuminat baptisma: at hoc augustissimum sacramentũ (ut illius uerbis dicam) & penitus sanctum, perficit, ac consummat,nõ baptisma solùm(ut dixi)sed reliqua etiã quæcunque in Ecclesia existunt mysteria. Illud demiror,qua fronte hũc indicant,quum in reliquis penè omnibus mysteriis,quæ sanctus ille piè ac reuerẽter tractat, ab iisdem contemnatur?ut ex multis unũ,

aut

aut alterum, exempli causa, dicam: Si hũc sequuntur, cur incẽsum ita fugiunt, quod ille in istius mysterij celebratione ualde probat? Si hunc sequuntur, cur nõ ostendunt, seu eleuãt panẽ Eucharistiæ, quod ea Ecclesia solet? Cur non sacrosancta mysteria digna cũ ueneratione contueri sinunt? Cur sacrã unctionem tantoperè insectantur? demùm quare orationem pro defunctis, ut uanam, exsibilant? Quæ omnia hic author statuit, confirmat. NEOPH. Itá ne propter mala, si quæ insunt, etiam bona, non amplexabimur? hæccine ratio est, ut quia in uno fortè lapsus sit aliquis, in nullo uerum dicat? ORTHO. Aequum postulas. illis tamen hoc placet. sic enim ad expugnandum quæ ex Damasceno allata sunt, responsum est: quòd fuit assertor prauorum dogmatum, ut imaginum, &c. Agnoscant suas pennas, sed quãto melius & rectius de Origene & Tertulliano, hominibus ad miraculũ usque doctis, ex quibus colligunt fragmẽta, ad causam fulciendam, hoc dicimus? Quorum uterque non sine hæresis labe (quod dolens refero) extitit. Id quod Orthodoxo Damasceno, beneficio Dei, non euenit: quare, uel hæc, quæ iam dixi, cum eo obuiis (quod aiunt) ulnis accipiant, uel desinant præterea eum in testem adhibere: ut hic meritò locũ habeat, quod Irenæus contra Valentinũ, & Martionem dixit, qui ex S. Luca quædam pro dogmate suo stabiliendo recipere, quædã rursus, ut illis uisum est, abiicere ac repudiare uoluerunt. Sic enim post longam cum illis disputationẽ, tandem colligit: Necesse

Irenæus li. 3. cap. 14.

eſt igitur (inquit) & reliqua,quæ ab eo dicta ſunt, recipere eos, aut & his renuntiare. non enim conceditur eis,ab his qui ſenſum habent, quædam quidem recipere ex his,quæ à Luca dicta ſunt, quaſi ſint ueritatis: quædam uerò refutare, quaſi non cognouiſſet ueritatem. Nemo hîc obſtrepat, quaſi æquare ſtudeamus hominem Deo. Siquidem benè nouimus, quod multis paraſangis, imò infinitè præcellant literæ diuinæ, literis hominũ, etiam ſanctiſſimorũ, quũ hi labi poſſunt, illæ uerò æternã ueritatem in ſe cõtineãt.Sed illud dico,factum ab illis,ſi non aſtutè,certè imprudenter,ut patrũ teſtimonia alicubi contra nos afferant,illos ipſos tamẽ, ubi eſt cũ cæteris omnibus ſumma conſenſio (ſicut in adductis exemplis) tantũ nõ repudiant.Hoc,inquã,meritò illis obiicimus,qui Dionyſiũ,pro imperio ſuo,ſuũ eſſe iubent, qui tamẽ illis nõ patrocinatur,ſed huic doctrinę teſtimonium ferre penitus recuſat, & planè nobiſcũ ſtat, ueluti in acie.hoc orationis eius tenor,hoc progreſſus,ac ſumma manifeſtiſſimè cõuincũt.Sed & nos de hoc argumẽto quomodo panis ſit, ſępius anteà diſſeruimus, ut iam non ſit opus hîc immorari.Huic ſuccedit ſanctus martyr Ireneus,ſed hac ueluti pręfatiũcula: Nõ, inquit, uereor illum introducere, tametſi Dominus doctor heri aliter interpretabatur. quibus ſanè uerbis,quis nõ animaduertit, preſſæ ueritatis lucẽ nonnihil emicare? Tantum dicit locũ eam intelligẽtiam non pati. NEO. Quiſnam ille eſt,quæúe intelligẽtia, mihi excidit. ORT. Contendebat quidam ex Iręneo,

Irenæus.

panis

panis naturā manere in Eucharistia, quia ex duabus rebus cōstare eā dixit. Hoc, inquit ille, nō oportet. Idē enim dixit, panē è terra sumptum, à uocatione, iam non communem esse, quem, post consecrationem, (quā uocationis nomine intelligit) ex duabus rebus constare cum eo libenter dicimus. Rem terrenam uoco carnem Christi: suscepit enim (ut quidam ait) de terra terram, id est, de carne Mariæ carnem: cœlestem appello spiritum, seu diuinitatem. Habes pij hominis pium sensum, cui si uis, etiam hunc adde, & terrenam rem interpretare speciem illam externam, cœlestem uerò ipsum Christum. Ac uide num istorum alterū necessariò cogat ipsius loci contextus? Eucharistia, inquit, ex duabus rebus constat, hoc est, manet, & cōstanter perseuerat: quarum unam si sustuleris, sacramentum perit. constat enim, ut ait, ex duabus rebus, non una. Ergo, uel mali sacramenti gratiam sumunt, nempe unum corpus cum Christo euadunt: quod Orthodoxus non affirmat, uel integrum sacramentū non recipiunt, quod Augustinus cum omnibus piis negat. Id quod à nobis etiam argumētis irrefragabilibus superius ostensum est. Neque sanè aliena uideri debet hæc interpretatio, qua dicimus terrenam rem in Eucharistia, non esse panis substantiam, sed corpus Christi, cum ipse (si Augustino creditur) corpus suū apud Ioannem terrenum appellauit. Et Damascenus quod hîc ueneramur, duplex esse, propter duplicem Christi naturam, diuinam uidelicet & humanam, dicere non dubitauit: qui, nihilominus de panis & uini

Alij inuocationem legūt.

Augustinus.

Constat.

Tractatu 12. Itē Theodoretus dial. 2. Ioā. Damasc. lib. 4. ca. 14.

Cypria. de cœna Domini.

transmutatione uerba faciens, non iam duo, sed unũ, & idem corpus esse contendit. Idem apud Cyprianũ uidere licet. Hæc, inquit, quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem istũ frãgimus, & partimur, dum quod diuinum, & quod humanum est, distinguimus & separamus, itémque simul separata iungentes, unum Deum, & hominẽ fatemur. Quibus uerbis pulchrè innuit, & qua re op⁹ habeamus, dum panem sanctum frangimus, & quid ea fractio designet: demum quæ sit illa duplex res, quam Irenæus terrenam & cælestem uocat, piè & luculenter ostendit. Sensus hic est, quoties ad hoc sacramentum accedimus, reuocantes in memoriam, quòd beneficio Christi restituti sumus, quoties defæcatis animis, carnis eius edulium, quod non est nobis horrori, sed honori (quia sub sacramento datur) manducamus, & potum sancti, & sanctificantis sanguinis (ut eius uerbis dicam) quo spiritus noster delectatur, in hoc mysterio bibimus, non dentes ad mordendũ acuimus: nimirum, quia hîc panis natura non adest. Sed quid? fide syncera, inquit, panẽ sanctum frangimus, & partimur: ea enim hîc imprimis opus est. Neque in fractione alterius cuiusdam panis, ita exigitur, tametsi etiam ibi pius, mortem Domini sui nonnunquam recordetur, sicut in primordio Ecclesiæ (ut prædictum est) fieri consueuit, sed ante omnia, ad frangendum hunc panem, fide syncera opus est. Nimirum, ut non tantum quomodo frangatur, uerumetiam, quò referatur ea fractio, plenius intelligas: est

enim

enim in hoc ſacramento humanum, eſt & diuinum: quæ nobis diſtinguenda, & rurſus diligenter coniũgenda ſunt. Si enim rectè offers, & non rectè diſtinguis, peccaſti. Diſtinguenda eſt ſeorſim humanitas Chriſti, à diuinitate: & hæc rurſus, ut oportet, per ſe agnita, ſimul iungentes, unum Deum & hominem fateamur. Vides quid hæc ceremonia deſignat, uides etiam, quomodo humanum à diuino ſeparare, & iterum coniungere oportet. Et, ſi nihil adeſt niſi panis, quare ullam horroris mentionem facit? Si humanus, & terreſtris eſt, quomodo ab humano, & quid ſeparandum? Atqui, ut perſpicuum ſit, non de pane materiali, ſeu imaginaria ſeparatione dictum, non panis, ſed carnis hic dari edulium affirmat. Et profectò niſi uolumus uocum ſignificationes, ex nobis affingere, edulium propriè panis non eſt, ſed quicquid ad edendum, præter panem, apponitur. Conſpice nunc iam, quàm amicè inter ſanctos conueniat. & nihil mirum: unus enim ſpiritus erat in eis, & una fides: & idcirco, unam ſententiam de una carne, iiſdem penè uerbis explicuere. quod enim hic humanum & diuinum, hoc ille terrenum, & cæleſte appellauit. Vnde huius ſacramenti figuram (quam nos propoſitionis) Hebræi panem facierum, dicunt, quòd hic uerus Eucharistiæ panis, quaſi duos in ſe uultus, hoc eſt duas ſubſtantias, terrenam, & cæleſtem, nempe, ut dixi, uel deitatem Chriſti cum humanitate, uel cum diuina eius carne, formam panis (glorioſi illius corporis operimentum) retineat.

Edulii quid.

Petrus Galatinus.

NEOPH. Pulchrè. Sed quam ſtatuunt aduerſarij rem cæleſtem? ORTHO. Dixi iam, & ſi uis, dicam adhuc planius. panem iſtum ſuum, quum ſit iuxta eos, natura penitus terrena, maximéque communi, haud aliter, quàm reliqui cibi Chriſtianorum, tamen (uelut rerum Domini) pro ſuo arbitratu, cæleſtem eſſe uolunt, miniméque communem, tantùm quòd ſeparatur ab uſu communi, quódque cæleſti (ut aiũt) gratiarum actioni ſubſeruiat. Affingunt præterea, ſine corpore, ſanctificationem, ſeu gratiam quandam, & harum rerum alteram (ſi tamen res ſunt, & non potius cæleſtia dona) ut ſunt inconſtantes, pro cæleſti uiciſſim ponunt, ſicut commodum illis, & ſuæ cauſæ utile uideatur. atque ita demum plenam ſacramenti rationem habere ſe credunt. Et quidem gratiarum actio (ut ex ea conſtare id poſſet) in ſacramento non eſt. ea enim uel in hominibus eſt, quorum eſt gratias agere, uel Deum ſpectat, cui referuntur: quæ etiam quouis tempore, & loco à Chriſtianis ubique offerri ſolẽt. Sed nec ipſa ſanctificatio, aut gratia (quæ alteram ſacramenti rem conſtituat) in pane eſt, ut pote re muta, quæ, eorum ſententia, gratiæ, aut ullius ſanctificationis capax non eſt. Quocirca, quum ex Irenæo conſtat, ſacramentum ex duabus rebus conſtare, terrena uidelicet, & cæleſti, cúmque gratiarum actio, aut gratia, neutram ſacramenti partem conſtituat, magis quã alterius cuiuſq; cibi (ſiue enim edimus, ſiue bibimus, omnia ad laudẽ Dei fieri Paulus monet) fit, ut cum & diuinam Chriſti naturã

&

& humanam (ex quibus ut re terrena, & cælesti, constare hoc sacramentum uoluit sanctus ille) ipsi auferant, sacramenti rationem ipsi quoque tollant, quod tamen aliis obiiciunt. Sed neque uerbum (quod argutius quispiam dixisse uidebatur) potest esse res illa cælestis, quam Irenæus insinuat, nisi simul omnem panem, qui sanctificatur per uerbum Dei & orationem, & omne uinum pariter, sacramentum corporis, & sanguinis Christi efficias. Nomen enim Domini super utrumque inuocatum est. Vtrumque cælesti gratiarum actioni subseruit rectè utenti, utrobique etiam, si illis credimus, panis substantia manet. NEOPH. Nemo tam ineptit, non enim super quouis pane aut uino, insignis illa sanctificatio (quam Dominus in cœna mandauit) qua & corpus eius fit & sanguis, peragitur, sed diuersa & longè alterius generis alia, ut heri à te ipso edoctus sum. ORTH. Rectè tu quidem. Sed cum hoc illi nobiscum affirment, quod omnis Christianorum panis sanctus sit, & omne uinum similiter sanctum (sanctificatur enim per uerbum Dei & rationem, id quod ex origine, ut iam diximus, ipsi intulerunt) sitque, ueluti gratiarum materia, omnis cibus: quúmque soli persuasum habeant, quòd ea Christi uerba nihil penitus in pane & uino operantur (manet enim iuxta illos, eorum substantia integra, ut prius, tantummodo hîc respectu, & inani quadam cogitatione eam mutari aiunt) quî fieri potest, ut uerbum sit pars sacramenti magis quàm nutrimenti alterius cuiuscunque? sed

Constare.

neque diutius manet, quàm sonat: constare itaque ex eo nemo rectè dixerit. ex quo enim propriè constat aliquid, id manere necesse est. Quod si mordicus adhuc teneant, ita non ex duabus, quod Irenæus dixit, sed ex tribus rebus, pane, uerbo, & gratia, Eucharistiam constare affirment: quarum una, si deest, sacramenti rationem continuò amittit. Quod nemo ante istos, ne somniauit quidem. Nos rem sacramenti in Irenæo quærimus, illi uel de gratiarum actione pro donatis beneficiis sermocinantur, uel de gratia (quæ est potius, rectè eo utentis fructus) in sacramento collata uerba faciunt: quod est à re proposita ualdè alienum, & de alliis interroganti (quod habet prouerbium) de cepis respondisse. Sed illius sermonis scopum paulo altius consideremus. Geminam illic hæresim præcipuè conuellit, quarum altera asseruit Christum non esse mundi fabricatoris filium, sed in forma hominis apparuisse in Iudæa, dissoluentem prophetas, legem, & omnia opera eius Dei, qui mundum fecit. Altera uerò, animam solam salutis participem fore dixit, non autem corpus: id enim, quoniam è terra sumptum est, impossibile esse, ut salutem aliquando consequatur. Hoc, uti oportet, constituto, ut utramque eo, quo proposui, ordine, conuincit, mecum intuere. Quomodo, inquit, constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum mundi fabricatoris filium dicant? Nulla hîc controuersia est, de ueritate corporis & sanguinis

Scopus sermonis Irenæi.

Valentiniana hæresis corporibus æternam aufert salutem, animis tribuit.

Domini

Domini in Eucharistia, eóque dicit inter eos constare, & cuiuis perspicuum esse, nempe, panem, in quo gratiæ actæ sunt, non significare, sed esse corpus Domini. Hactenus, inquam, conuenit Irenæo cum hæreticis: tantum hoc controuertitur, num is, cuius hoc esse corpus & sanguinem pars utraque asseuerat, esset quoque mundi fabricatoris filius? Quod cum negarent illi, sic ex concessis arguit. Quid cunctamini, ô hæretici, Iesum Christum mundi fabricatoris filium, qui creaturas minimè contemnit, agnoscere? quum ipsi eum agnoscitis ex pane proprium corpus, ex uino sanguinem suum fecisse: quod profectò opus solius Dei est, non minoris potentiæ, quàm mundum ipsum fabricasse. Quamobrem quum hoc sponte fatemini, lege quadam necessitatis uobis incumbit, illud quoque non diffiteri: nemo enim alius tam potenter uti creaturis poterit, non angelus, non archangelus, sed nec ulla potestas poterit efficere, ut ex pane fiat corpus, ex uino sanguis, nisi unus Deus, uerbum omnipotens, & fabricatoris mundi filius. Iam contra alteram, quã dixi, hæresim, similiter ex concessis disputat. Quomodo, inquit, rursus dicunt, carnem in corruptionem deuenire, & non percipere uitam, quæ à corpore & sanguine Domini alitur? ac si ad hunc modum eos alloqueretur: Vos, qui à Valentino estis, qui, eo duce, negatis terrestre hoc corpus particeps esse salutis & uitæ æternæ, demiror qua fronte id aude-

tis? præsertim quum ipsi uos, uel certè quidã ex uobis, confitemini carnem, seu corpus hoc, ali corpore & sanguine Domini: illorum contradictiones per id notans. Huic enim perquam familiare est, ex illorum dictis eos inuicem coarguere. Ex quibus uides, quam fidem hactenus retinuit Ecclesia ab ipsis Apostolis (fuit enim sanctus iste, Polycarpi, quondam discipuli Ioannis Euangelistæ, auditor) quod scilicet uerum corpus: & nequaquam figuratitius, sed uerus sanguis, in Eucharistia semper credita sunt, alias inefficax & planè ridenda Irenæi ratio cunctis uidebitur. Quis enim, nisi qui suæ mentis compos non sit, propter comestam figuram corporis & sanguinis, uel propter communis panis nutritionem, dixerit corpora nostra immortalia, & uitæ æternæ participantia? Et hoc argumentum usque adeò firmum illi uisum est, ac stabile, ut non pigeat eum, iterum, iterúmque repetere, nec immeritò. Quid enim uel aptius, ad rem propositam, uel fortius ad euertendam hæreticorum contumaciam, qui carnis corporúmque salutem negabant, contrà afferri à quoquam potuit, quàm quòd corpora nostra, corpore & sanguine Domini, quæ iam immortalia sunt, & uiuificatiua, pascantur? Habet enim caro Dei uerbum, quod naturaliter uita est: & propterea apud Ioannem dicit, Ego resuscitabo eum in nouissimo die: hoc est, Cyrillo interprete, corpus meum quod comedetur, non quatenus passum est solùm, sed ob

Cyrillus li. 4. super Ioannẽ. cap. 15.

hoc

hoc ipſum,quòd comeditur, ſi tamen dignè edatur: id quod Irenæus quinto libro aduerſus hæreſes fuſius pertractat.Sed nos ex multis pauca,quæ noſtro inſtituto magis cõueniant,dicemus. Vani,inquit,omnimodo , qui uniuerſam diſpoſitionẽ Dei contẽnunt, & carnis ſalutem negant,& regenerationẽ eius ſpernunt,dicentes non eam capacem eſſe incorruptibilitatis. Sic autem ſecundum hæc, uidelicet,nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos,neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis eius,neque panis quẽ frangimus,communicatio corporis eius eſt. En magnam auri uenam inuentam tibi,eam nunc diligenter fodiamus,ſi quo modo aurum latens effodiatur. Sed ne Iſthmum (quod aiunt) perfodere dicamur, & fruſtra quærere, animaduertendum ſedulò, quò ſermonis curſum dirigit.Scopo enim nõ animaduerſo, aut non intellecto, diſſoluta ubiuis oratio uidebitur. Spectat autem Irenæus, eos maximè hoc in loco, qui Chriſtum Ieſum ex Maria nihil ſumpſiſſe, ſed putatiuum corpus accepiſſe , & putatiuè (ut illorum uerbis dicam) apparuiſſe dicunt,quiq́ue auolantẽ Chriſtum à Ieſu ante paſſionem fingunt, & tranſſiguratũ Simonẽ,neſcio quẽ, Cyrenæũ , uti putaretur eſſe ipſe Ieſus.Et ita euanuerũt in cogitationib⁹ ſuis, docẽtes, non oportere confiteri eum qui ſit crucifixus, ut qui uerã corporis,ſeu carnis ſubſtantiã non habuerit,ſed eum qui in formam hominis uenerit, & putatus ſit crucifixus, & putatus ſit ſanguinem effudiſſe, quem reuera non habuit. Hos coarguit ad hunc modum:

Si,inquit,uerum eſt, quod uani iſti hæretici comminiſcuntur,qui incarnationem Dei(quam diſpoſitionem appellat)contemnũt,quíque corpora noſtra , æterna ſalute penitus uacua relinquunt, & propterea, quæuis media (ex quibus Euchariſtia primas tenet) ad hoc à Deo ordinata, ut caro etiã cum anima ſeruetur ſpernunt, uide quid ſequetur ? uide, in quam profunditatem naufragoſi gurgitis ſeſe iniecerũt, dicentes talia? Nam ſecundum hæc, inquit, hoc eſt, ſi iſtos audimus, primũ illud nobis affirmandũ,quòd Dominus Ieſus nõ redemit nos uero ſanguine(quod hic pro certo aſſumit, uelut abundè ſatis, ſolidis argumentis anteà comprobatum.)deinde & aliud nobis dicendum, non minus impium, quòd calix Euchariſtiæ non ſit ueri ſanguinis communicatio, ſed putatiui,neque panis ille, quem frãgimus in Euchariſtia, ſit ueri corporis eius communicatio, ſed putatiui tãtùm : quaſi diceret,quis hoc unquam aſſeuerare, niſi qui uniuerſam diſpoſitionem, qua, & Deus eſt & homo Chriſtus,hinc pro nobis paſſus,hinc miſertus noſtri, ſimul contemnat ? quòd autem non ſit putatiuus, aut figuratiuus, ſed uerus ſanguis utrobique tam in cruce, quàm in calice, ſequens ſententia, & explicat, & confirmat. Sanguis enim non eſt, inquit, niſi à uenis & carnibus, & à reliqua,quæ eſt ſecundum hominem, ſubſtãtia, qua uerè factum uerbum Dei, ſanguine ſuo redemit nos. Quemadmodum & apoſtolus ait,In quo habemus redemptionẽ per ſanguinem eius, & remiſſionem peccatorũ. hæc

ille.

ille. Porrò autem, quæ adhuc ſequuntur, uel maximè pro ueritate corporis & ſanguinis Domini faciunt, modò ſcopum, ut dixi, animaduertas. Agit enim cõtra Marcionem, & Eucratitarũ principem Tatianũ: quorũ alter exiſtimauit, fas non eſſe carnibus ueſci, qui & bonas eſſe creaturas negauit: alter uerò carnẽ humanã, ſicut prædictũ eſt, nõ eſſe ſalutis capacẽ dixit, quos redarguere ſic aggreditur. Quoniã, inquit membra ſumus Chriſti, per creaturam nutrimur, ut olim ille, qui cũ in terris cõuerſaretur, eas, quæ à terra erãt, percepit eſcas, per quas, id quod à terra ſumptum eſt, corpus alebatur: quin & ipſe (nõ quod uos ſõniatis) de altero, neſcio quo, Deo: duos enim Deos conſtituunt, alterum crudelem, rigidum, ac cruentũ, ueteris legis authorem: alterũ euangelij, mitem, ſuauem, ac miſericordem: idem ipſe eſt, inquit, qui creaturam nobis præſtat, idque uariis modis, præbet ſolem, oriri faciẽs ſuper bonos & malos. item pluuiam, qua cæteræ creaturæ uniuerſæ ad uſum hominis, ſimul & uoluptatem creſcunt. Et tantũ abeſt, ut creaturas iſtas inferiores, aut corpora noſtra quouis modo abominetur (quod calumniamini) ut utraque, id eſt, & corpus noſtrum, & alias creaturas, ſummè efferat: eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmans, ex quo noſtra auget corpora. NEO. Quid ais? Calicém ne uocauit Dominus corpus ſuum, an potius ſanguinem? ORTH. Idẽ ex Cypriano diſcas: Panis, inquit, iſte cõmunis, in carnem & ſanguinem mutatus, procurat uitam. Ecce, panem communem

Scopus.

Lib. 3. ca. 32.

Cyprianus de cœna Do.

in carnem & ſanguinem mutatum: id quod etiam ex aliis obſeruare licet. Hoc autem ſcripſerunt, ſpiritu ſancto calamum dirigente, ut intelligamus, non ſolui Ieſum, ſed ubi ſanguis, etiam corpus, & è regione. Ita, rectè dicitur totus Chriſtus, ſub utrauis ſpecie uerè adeſſe, per adhærentiam ſeu concomitantiam: ſic enim ſcholaſtici loquũtur, nouo quidẽ uocabulo, ſed antiqua, ut uides, catholicæ fidei ſententia. Hãc doctrinam (non illorum dico, ſed Eccleſiæ) quid magis confirmare potuit, quàm quod dicit Irenęus ſpiritu ſancto (ut dixi) inſtructore, calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus ſeruatorem noſtrum confirmaſſe: uel ita potius ex ſanguine ueritatem corporis confirmat, quòd uerus ſanguis, non niſi ex uera, & minimè fictitia corporis ſubſtantia promanare poterat. Neque te mouere debet, quòd eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus nominat: non enim ſic accipiendum eſt, quaſi creatura calicis, aut uini, ſit corpus eius, aut quaſi eadem creatura poſt uerbum Dei, & conſecrationem maneat (tũc enim fit Eucharistia, ut ait) ſed eum, qui eſt creatura, in manus accepit, (creaturam dicit, ut hæreticos confundat, qui creaturas eum deſpicere affirmarunt) qua accepta per uerbi ſui omnipotentiam corpus ſuum appellat, neque tãtum appellat, ſed inſuper ut ſcias, quanta ſit eius uerbi uirtus, corpus ſuum eſſe confirmat. Hunc ſenſum genuinum huius loci neceſſariò quæ ſtatim ſequuntur efficiunt. ſubdit enim: Quando ergo, & mixtus calix, & fractus panis percipit uerbũ Dei, fit Eucharistia

Lib. 5. prope initium.

ristia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur,& consistit carnis nostræ substantia. Audis exanimales Dei creaturas percipere uerbum Dei, (quod isti animales homines percipere nolunt)pérque id fieri Eucharistiam corporis & sanguinis Domini. Post quæ tandem contra aduersarios pietatis sanctè indignans,ita erumpit: Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei,qui est uita æterna,quæ sanguine & corpore Christi nutritur,& membrum eius, quemadmodum & Apostolus ait, in ea, quæ est ad Ephesios epistola, quoniam membra sumus eius de carne eius,& de ossibus eius.Nõ de spirituali aliquo, & inuisibili homine dicens hæc(spiritus enim,neque ossa,neq; carnes habet) sed de ea dispositione, quę est secundum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit. Iam si huic sermoni suo finem hoc in loco imposuisset,potuit utcũque dici, hanc dispositionem (quam ait secundum hominem, corpore, ut in humana forma fuit, extitisse) in cælo iam esse, & non ea ipsa, sed uirtute illius solummodò (uti argumentorum rationes solent eludere) nos in Eucharistia nunc ali,sed quæ mox infert, palã faciunt,quod nos tuemur: Loquitur,inquit Apostolus,nõ de spirituali aliquo, & inuisibili homine, sed de ea dispositione,quæ est secundum hominem, quæ ex carne cõsistit,quæ de calice,qui est sanguis eius,nutritur,& de pane,qui est corpus eius,augetur. Habes quisnam sit calix ille,de quo antea:Est,inquit, sanguis eius: de ea dispositione quæ est secundum hominem,qui & eã-

dem alit, & panis ſimiliter corpus. Non digreditur à ſcriptura, ne latum unguem, quod aiunt: de calice, inquit, qui eſt ſanguis eius. Nam de hoc ſanguine teſtamenti (ut Hieronymus ait) quē in paſſione effudit, ad diſcipulos loquebatur, bibite ex hoc omnes: quo uerbo planè intelligimus ex Irenæo, nō uinum, quod hodie affirmant, ſed uerè, qui in calice eſt, ſanguinem eſſe, & non dici ſolùm. Hoc argumentum, quoties commodum eſt, ita repetit ſanctus iſte (quē admodum dixi) ut eo delectatum credas. Vbi, ſi de quadam corporis aut ſanguinis uirtute ageretur, quū ea in baptiſmo affatim in nobis diffunditur, cur non ab eo perinde argumenta duceret? NEOPH. Sanè ut dicis. Sed illud, quomodo corpora noſtra nutriantur carne & ſanguine Domini, demiror. ORTH. Curioſior es quàm par eſt: ſed etſi ego affirmarem tecum, id me neſcire, fortè, imò non fortè, ſed certè uerum dicerem, ſicut nec ſcio, quomodo fœmina ſine mari pareret, & plurima ſimiliter religionis noſtræ myſteria, quæ tamen nemo Chriſtianus firmiter non credit. Habemus uerbū Dei, habemus ſanctiſſimos patres, & praxim Eccleſiæ, cui ſi acquieſcis, benefacis. Illud tamen conſtat, de peculiari quadam nutritione, & quidem longè aliena à communi, hunc loquutum: non enim tranſeunt ſacra Chriſti caro & ſanguis, in corporis noſtri ſubſtantiam, more cibi corporalis, ſed excellētiori uirtute peragunt æternaliter, ut Cyprianus loquitur, quòd agunt alimenta carnalia temporaliter, hoc eſt, ut Euthymius ait, in ſubſtantiam coaſſumuntur

Hierony. in Zacha. ca. 9.

Cypria. de cœna Domini.

Euthy.

ſumuntur ſpiritualem, eius qui participat, ita tamen, ut uerè manducata, uerè nutriant, augeant, uniant, modo quodam indicibili, & ultra quàm poſſit mens humana intelligere. Aliàs, ſi hæc in nobis uerè non operarentur (ut interim non dicam quã iaceat, quanquã totus illi ſermo frigeat) cur magis noſtra corpora (quia corpore & ſanguine Domini paſcimur) inæternum beatè uiuerent, quàm illorum, uel hæreticorũ, uel gentium, qui hunc cibum non agnoſcunt, neque eo aluntur, nulla ratio eſt. Mihi autem (quod quidã, de hoc myſterio loquens, dixit) omninò utile eſt, ut meminerim uirium mearum, fratréſque meos admoneam, ut & ipſi meminerint ſuarum, ne ultra quã tutũ eſt, progrediatur humana infirmitas. Sed diutius moram in hoc contraxi, quàm decreueram. Age nunc uideamus, num ab iis Tertullianus diſſentiat. is enim Irenæo proximè annexus eſt. NEOPH. De hoc authore ſeriò triumphat determinatio. eſt enim, ut ait, apertus. ORTH. Vtcunque apertus eſt (quod figuram nominat) certè, illius ſententiæ haudquaquam patrocinatur. NEOPH. Huic adiungit Auguſtinum, qui idem affirmet. ORTHO. De Auguſtino, quia ita uis, pòſt dicemus: prius autem de Tertulliano, qui tractans uerba Chriſti, quibus ſe ait, magno deſyderio teneri, cum diſcipulis paſcha comedere, ita habet, Profeſſus ſe concupiſcentia concupiſſe, edere paſcha, ut ſuum (indignum enim, ut quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum

Corporis humani ad beatam uitã reſurrectio, corpori Chriſti dignè ſumpto, tribuẽda. Auguſt lib. 3. de tri. ca. 10.

Tertull. li. 4. contra Marcionem.

dicendo,id eſt,figura corporis mei : figura autem nõ fuiſſet,niſi ueritatis eſſet corpus. Cæterum uacua res, quod eſt phantaſma,figuram capere non poſſit. Attẽde ut intelligas. Marcion(de quo antea) Chriſtum Ieſum ueniſſe ad diſſoluendum legem & prophetas, eúmque uerum corpus ex Maria nequaquam accepiſſe contendebat. Hunc ualidè oppugnat,argumento ducto ex præcipua legis ceremonia : quum enim erga Moſaicum illud ſacramentum, ubi agnus paſchalis oblatus eſt, & comeſtus, affectum ſuum oſtẽderit,cúmque ipſe hoc paſcha cum diſcipulis fecerit, comederítque, quî fieri poteſt, ut is dicatur legem deſtruere? Et ſanè iuuat uidere,quàm faceta diſſimulatione inſultat Tertullianus. Poſtquàm enim oſtendit,Dominum legi,hac in parte obedientem, amara ironia, Marcionem ridens exclamat : O legis deſtructorem(Chriſtum uidelicet) qui concupierat etiam paſcha ſeruare. Nimirũ, ueruecina illum Iudaica delectaret. An ipſe erat, qui, tanquam ouis ad uictimã adduci habens, & tanquam ouis coram tondente ſic os non aperturus,figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere concupiſcebat ? Hæc Tertullianus. Vbi apertè audimus agnum illum figuram eſſe,quam partim in cœna,maximè autem in cruce perfecit. quod planiſſima demonſtratione Moyſes præſignaſſe uidetur,dũ ſanguinem uitulorum, partim in crateram, partim in altari fundit:ex quo,qui habet oculos, uidet Chriſtum Dominum,ſanguinem ſuum miſiſſe in poculum (quod ſuprà attigimus) & eundem in altari ſuæ

Scopus.

crucis

crucis pro peccatis nostris effudisse: uel, quem ipse prior intelligibilem (ut Isychius loquitur) bibit sanguinem, eundem apostolis tribuens, super altare (uidelicet corpus suum) effudit. corpus enim Christi Ecclesia est. Ideò autem, ne erres, intelligibilem dixit, quia mente tantùm, & sola fidei intelligentia, non ullo sensu adesse deprehenditur. quæ uox quidem, tametsi hodie à detorquentium calumniis (ut nec clarissima quæque) haud immunis sit, catholicam nihilominus ueritatem pulchrè ac dilucidè explicuit, nõ inani quadam animi speculatione, neque sensibili modo, sed reipsa corporis & sanguinis dona adesse demonstrans. quo sensu, & quasi figuris eum opponens, frequenter Isychius utitur: sicut pro Christo, intelligibilem sacerdotem: pro diabolo, intelligibilẽ hostem: atque intelligibilem panem, seu pascha intelligibile, pro Eucharistia, sæpè posuit. Quæ, ex multis, pauca, tantum explicandi gratia huc adiicere libuit, quòd supra omnem modũ uideam eos uel minima cuiusque uerbi occasione, Hermodori (quod aiunt) uerba, hoc est, nihil omninò præter uerba afferre. Quod autem ait Tertullianus, Dominum concupiscere figuram sanguinis sui implere, quid quęso est aliud, quàm pro figura ueritatem, pro agno, & brutorum sanguine, suum ipsius corpus & sanguinem substituere, & exhibere? Ad hæc, probat hunc eundem esse, non qui prophetas dissolueret, sed quem illi prænuntiauerunt, íd que à traditore, qui uendidit, & à precio quo uenditus est: de utroque enim, ut ait, in

Isychius li. 2. in Leui. ca. 8.

eorum libris ſcriptum eſt. Hactenus quòd non deſtrueret legem. Dehinc monſtrat, hunc ipſum Chriſtum habuiſſe uerum corpus, & minimè phantaſticum, breuiter quidem & conciſè ad hunc modum: Quod in cœna dedit, figura erat corporis eius (cui & uos acquieſcitis) idcirco fuit illi uerum corpus: figura enim non fuiſſet, niſi ueritatis eſſet corpus. NEO. Hîc inuenerunt. ORTH. Inuenerunt, nempe quod pueri ſolent in faba. Nihil enim minus hîc agit, quã ut ueritatem corporis, è ſacramento auferat: imò noſtro iudicio plurimũ confirmat. Quid enim ſi figurã uocat, ſitque, num ſtatim ideò aufertur ueritas? Hoc melius dignoſcitur, ſi figuræ naturam propius contemplemur: & propterea quid ea ſit (relictis geometricis linearum ductionibus, ſecluſis etiam magnitudinum deſcriptionibus quibuſcunq;) maximè, ut in diuinis eſt literis, dixero: in quibus ſub externa hiſtoriæ litera, interiora myſteria plerunque latent. ut de Salomone, qui erat figura & typus Chriſti, legimus, quòd deprauatũ eſt cor eius per mulieres, quod in eum ſolum reſidet, in Chriſtum minimè. Rurſus, de Chriſto, Et dominabitur à mari uſque ad mare: quæ ſententia de Salomone nequit intelligi, niſi ea parte, qua tantùm figura Chriſti fuit. Denique, Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium: quod & in ipſum Salomonem per ſe, & quatenus erat figura, dici poteſt. Et in genere quidem ſumitur, ut ſit quiddam ad ſignandum tantummodo inſtitutum, cum nihil ueritatis in ſe contineat, præſertim rei figuratæ:

cuiuſ-

cuiusmodi fuit serpens ille per Moysen in deserto exaltatus,& lapis Iacob,aqua,petra,manna. Hæc, inquit D. Paulus, omnia contingebant illis in figura, nemo tamen facta non credit. sunt enim rerum expectandarum declaratio, quæ per imitationem, ob oculos ponit, actectè præmonstrat quod futurũ est. Vnde, qui Christum adhuc in orbem uenturum expectant,hi in figuris suis Christum quærant. Cæterũ quod propriè magis hîc agitur,alterius generis est,& melius in synagoga, quàm uel in Salomone, uel cæteris figuris cernitur. ea enim fuit typus Ecclesiæ Christi,quãuis & ipsa uera esset Ecclesia,quæ ubique terrarum,non nisi una semper fuit,manétque. Et in aliis sæpè contigit, ut rei signatæ, & ipsius signi (nisi solo respectu) non sit in ullo discrimen: sicut in illis rebus,quas mercatores,& plerique opifices, maximè qui uictualia(ut uocant) uenditioni exponunt, cernitur. Quo fit, ut quod figurã dicimus relatione habita, sit quandoque res tantùm, quandoque figura tantùm,& nonnunquam simul figura & res. Est igitur typus,figura, uel signum (nam hæc uoce tantùm discrepant, significatione alioqui eadem) res præter speciem,quam ingerit sensibus,aliquid aliud ex se faciens in cogitationem uenire. quæ sanè descriptio,rei de qua agimus, perapposita esse uidetur. Enimuero externa illa species,quam intuemur,figura est,in magnorum mysteriorum mystici corporis Christi,charitatísque mutuæ contemplationem nos traducens. Iã (his premissis) propius accedo ad determinationẽ,

Augu de doctri. Christ. lib.2. cap.1.

quę ex Tertulliano ſic uiſa eſt cõnectere. Appellat ille figurã corporis: figura eſt igitur, & non uerũ corpus. At lõgè ſcopo aberrat, ſic enim inferre oportuit, ergo habuit uerũ corpus. Non enim controuerſia fuit de præſentia, ſed de eſſentia: nõ, inquã, de corporali præſentia in cœna, ſed de reali exiſtentia in natura, quam utiq; Marciõ penitus negabat. Et proinde nõ corpus ſimpliciter, ſed corp⁹ ueritatis dixit Tertullianus, nudã, uidelicet, & apertam corporis in humana effigie ſubſtantiã nullis uelaminibus cõtectã indicans: ita ut nõ ſolùm humano conſpectui apparentẽ, ſed reipſa conſiſtẽtem corporis naturam haberet. Figuram autem ideò nuncupat, non quòd uerum corpus nõ ſubeſſet (ut ex eodem præterea demonſtrabitur) ſed quòd ſit ſecretum, abditum, & ab humanis ſenſibus quàm maximè remotum: ſitque corpus altiſſimo, & inſcrutabili Dei conſilio, ſub figuræ obuelatione, ac myſterio reconditum. Ob id enim figura, ſeu myſterium, rectè uocatur, quòd exterius quidem, panis forma, quæ antè fuerat (non ſine euidẽti ſignificatione) manens oſtenditur, interius uerò lõgè aliud, nempe corpus Chriſti exiſtens, uerè creditur. Nam qui noui teſtamenti figuram dicit, rem ſub figura præſentem, proculdubio confirmat. Hoc enim figuræ à figuris diſtant, quòd ueteres umbræ tantum præfigurabant, nouæ imagines reipſa exhibeant. Lex enim umbram habuit, non ipſam imaginem rerum, in qua Chriſtus bifariam ſe exhibuit, & conſpicuum in forma ſerui, & inconſpicuũ ſub figura ſacramenti. Res utrobique

eadem

eadem uerè exhibita, modus autē & ratio exhibitionis uaria: quò hic respexisse uidetur, figuram appellās. Neq; à uero Tertulliani sensu (nostro iudicio) aberrabit, qui hanc propositionem (qua dicit, Hoc est corpus, id est, figura corporis) ex sententia Marcionis prolatam magis crediderit. Is enim (ut ex eodem Tertulliano liquet) quoties corpus in scriptura Christo attributum legimus, nequaquam uerum corpus, sed corporis figuram (quò suo phantasmati locus esset) interpretabatur: ita ut ex istiusmodi concessa & agnita figura (figuram enim sponte sua Marcion agnouit) etiam eiusdem corporis ueritatem, uel inuitus agnoscere comprobetur. Figura enim, ut ait, non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Sed operępretium fuerit, etiam uerborum disquisitionē, cum ipsis rebus, haud negligere: ipsius igitur uerba paulisper expendantur. Acceptum, inquit, panem, & distributum discipulis, corpus suum, illum fecit: hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Figura enim non fuisset, nisi ueritatis esset corpus. Nō ait Tertullianus, quòd discipulis dedit panem, imò, inquit, accepit panem. Et quid cum eo? fecit. figurám ne? minimè, sed corpus: non alienum, sed suum. illum, inquit, panem, corpus suum fecit. Et quomodo fecit, aut quibus uerbis? dicendo, Hoc est corpus meum. Hîc agnoscant, cum Tertulliano, uerborum Christi uim, & potentiam: quòd dicendo fecit. & fecit, non corporis symbolum, sed suum, utique proprium. En uerū pascha, quod tantopere concupiuit, proprij uidelicet corpo-

ris. Iam, quod addit, id est figura corporis, firmamentum est, quo cum hoste conuenit: assumptio est, qua, ut prædiximus, uelut suis armis, Marcionem confodiat. Vrgetur undique figura, sed nihil contra nos, qui eam sponte fatemur. Illud tacetur, quòd illum ipsum panem, quem statim figuram appellat, dicendo fecit corpus suum. Et quid hoc uno potuit dici breuius? quid plani? ? quid efficacius? Acceptũ panẽ corp⁹ suum illum fecit. Quid est, fecit? nisi conflauit, effecit, &, ut Cyprianus loquitur, creauit. Quibus uerbis sanè intellectis, ostenditur ipsum corpus esse, & nõ figurã solã: nisi, si qui sint, quorũ animos huius erroris opinio præoccupauit. Siquidẽ ita affecti, quicquid aliter asseruerit scriptura, nedũ patres, perpetuò, ut Augustinus ait, figuratum arbitrantur. Sed Tertulliano insistamus: qui, postquam illo Christi facto, & prophetæ testimonio, panem eius corpus significare ostenderat, unde eiusdẽ corporis ueritas, contra Marcionẽ (ut prædixi) consequuta est, id ipsum magis explicatè de calice loquitur, simúlque in eo uerum sanguinem manifestè demõstrauit, in hæc uerba: Sic in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis, &c. Ita consistit probatio corporis, de testimonio carnis, probatio carnis, de testimonio sanguinis. Ecce, primùm affirmat Christũ constituisse testamentum, ubi mentionem fecerat calicis: in quo certè non uinum, sed uerus sanguis illius sit oportet, utpotè quo

Augu. de doctrina Christiana lib. 3. cap. 10.

solo

ſolo,& conſtituatur teſtamentum eius,& obſignetur. Illud autem tenaci memoria meritò tenēdum, quod ait,in præſenti, conſtituens teſtamentum, & ſanguine ſuo,non figura ſanguinis: rurſus teſtamentū dixit obſignatum,non obſignandum, ídque in calicis mētione, ut intelligamus Chriſtum etiam tum, nempe in cœna,ſuam crucē celebraſſe,& ſequenti die paſcha crucis impleuiſſe. Vnde & bifariam conſummatus, ex ſcripturis, affirmatur.Conſummatus eſt enim manibus in myſtica illa cœna,quando accipiens, & frāgens panem,dixit, Hoc eſt corpus meum.poſtea per crucem, quando ligno affixus eſt.& hîc uerum corpus,& illic,uerúſque ſanguis:quem enim, conſtituēs teſtamentum,in cœna dedit, eundē in cruce moriēs, pro nobis effudit. Secundò,in huius calicis mentione, quo teſtamentum conſtituit, ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis ait confirmatam. & quomodo?Nempe ,quia habuit ſanguinem. & quomodo ſanguinem?quia habuit carnem, atque idcirco corpus.Nanque tria hæc,ſanguis,caro,corpus, ſuapte natura ita deuinciuntur, ut priori poſteriorem ſemper iunctam inuenias. Cōſiſtit enim (uti ait)probatio corporis, de teſtimonio carnis: probatio item carnis, de teſtimonio ſanguinis. Non ergo in calice uinum eſt,ſed ſanguis,qui ſolus ſubſtantiam corporis confirmare ualet.Veram enim carnis naturam,non uinum, ſed uerus ſanguis,qui ex carne eſt,probat. Atque hūc eſſe genuinum huius loci ſenſum arguit imprimis, quod apud Irenæum habetur, è quo hoc argumentū

Vide Iſych. lib.6. cap.23.

Iſych.li.6.ca. 21.

uidetur desumptum: qui & eandem hęresim penitus contriuit,& contra eam aliquanto clarius, ut prædictum est,disputauit. Vt autem integram Tertulliani mentem excipias,quæ sequuntur, porrò audi. Lauabat in uino stolam suam, & in sanguine uuæ amictũ suum:stolam & amictum, carnem demonstrans, & uinum,sanguinem.Ita & nunc, sanguinem suum in uino consecrauit,qui tunc, uinum in sanguine figurauit. hæc ille.Cedo nunc,quid est,tunc figurauit,nisi eo tempore, quo Iacob prophetauit, figuram sanguinis posuit, ídque ueterem. fuit enim,ut ait, panis ille uetus,corporis Christi,figura.Quid autẽ intersit, iam dixi:quippe ex iis est,quæ promittunt saluatorẽ, non dant salutem:quod peculiariter noui testamenti sacramẽtis rectè adscripsit Augustinus. Vnde hoc sacramentum sic est figura, ut interim figuratum in se contineat,habeátque. tunc enim,id est, in lege, figurauit uinum in sanguine, nimirum, ut illud sanguinis symbolum fuisse intelligas:nunc autem, hoc est, in Euangelio,non ita.Sed quid?sanguinem,non quidem alienum, neque solummodo sanguinis figurã, uti illic, sed suum sanguinem in uino consecrauit. quo perspicuè ostendit, uinum esse, quod primò assumitur,sed consecratione,& potenti uerborum uirtute,sanguis Christi efficitur:dicendo enim fecit sanguinem,qui olim in sanguine uuæ,id est, in uino figurabatur. Vnde & dominicum mysterium uuam sanctificationis Moyses appellauit:& rectè uuam,nõ quidem uacuam, absit. eundem nanque liquorem intrin-

Figura uetus & noua.

August.in Psal.73.

Vide Isych. lib.7.cap.25. in Leuit.

intrinſecus continet, qui eſt extrinſecus torculari expreſſus. tantum intereſt, quòd illic propriè uidetur, non uinum, ſed uua, hîc uinum, non uua. Simili quoque ratione in ſacra Domini mẽſa, & in cruce fit, uel in cælo: utrobique enim idem corpus, & ſanguis idẽ, ut illic uinum: ſed in futuro nulla re ſenſibili obtectum, maiori gloria conſpicitur: in pręſenti uerò uelut uua, panis ſpecie, operitur, & ſub ſacramenti tegumento cernitur. In uino, inquit Tertullianus, ſuum ſanguinem conſecrauit. Non enim aqua, aut quouis alio liquore in iſtius ſacramenti celebratione uti licet, ſed duntaxat uino aqua admixta, ut prædictum eſt. Conſecrauit certè in ultima cœna: de ea enim ſermonem hîc facit: quin & patres omnes conſecrationis uerbũ eò referunt. & conſecrauit nunc, non quidlibet, ſed ſanguinem ſuum proprium, quod tunc, eo authore, non fecit. Vide, ut determinationem oppugnat Tertullianus, quem in ſuis caſtris contra nos militare ſi credidit, non ſatis attendit, & uano animi inſomnio planè eluſa eſt. Iam quę ab Auguſtino poſita ſunt, ſicut expetiſti, pertractemus. Vbi primò, quæ ſit figurata illa loquutio: deinde, quomodo de carne & ſanguine figuratè Ioannes loquatur, inueſtigandũ. Eſt autem figurata loquutio, quę (eodem authore) ex tranſlatis conſtat, & ex uerbis tam multis, uel ita poſitis, ut obtegant ſenſum, & allegoriam, uel ænigma faciant: ſentẽtia autem Chriſti, qua, ut immobili fundamento innitimur, ex natiuis, propriis, & minimè tranſlatitiis cõſiſtit. Neque aliud in uerbis habet, quã

Augu. de doctrina Chriſt. lib. 3. cap. 16. & li. 2. ca. 3.

in recessu, ut quæ secundum literam debeat intelligi: sed nec obscura est, sicut antea plenius ex eodem Augustino, inter alia, demonstrauimus. Quæ etsi ita se habeant, ipsi tamen suauiter, & supra omnem modũ, hoc Augustini loco sibi blandiuntur, imò loquaciter insaniunt, perditi potius, quàm periti, dum nos uniuersa simul naturæ iura uiolare horribiliter clamitãt: non attendentes, quòd quanto sibi uidentur immaniora spicula in nos iacere, tanto detestabiliora aduersus sanctos patres omnes, adeóque Christum ipsum, unigenitum Dei filium, redemptorem nostrũ, uibrare conuincuntur: qui dum pios sacro suo corpore, & sanguine uellet alere, sensus impios, & nauseantes, non curauit offendere. Sed talibus uerborum appensoribus, qui istiusmodi sycophantiis, & calumniis beatum uirum aspergunt, aut magis persequuntur, is ipse ferè in hunc modum respondet: Quamuis horribilius (intellige facinus aut flagitium) uideatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum sanguinem potare, quàm fundere, nos tamen mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendúmque sanguinem, dantem, fideli corde atque ore suscipimus. Hæc Augustinus, ubi, quod illic fieri omnino prohibuit, hîc idem seriò persuasit, quódque tantopere aliàs abhorruit, illud idem facinus & flagitium hîc ipse commisit. Iam hoc breuiter uideamus. Dedit seruator (ut ait) carnem: & eam quidem manducandam dedit, neque modum, quo manducetur, tacuit:

Vide August. cõtra aduers. legis, & proph. cap. 9.

tacuit: fideli, inquit, corde, atque ore. Duo posuit. Quod enim fide credimus, illud ipsum oris officio accipimus, & de humanæ quidem carnis comestione loquitur, déque humani sanguinis potatione, id quod dictu, nedum factu, tam est horribile, ut ipsum homicidium, sua atrocitate, iam superasse uideatur. Verumtamen, qui Christiani sumus, quíque Christũ Deum, & mundi redemptorem fatemur, quamuis ad hoc narium rugas & frontis obducat infidelis, haud aspernanter tamen, sed gratanter, ac sapienter, mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendúmque sanguinem, dantem, fideli corde atque ore, cum Augustino, suscipimus. Non est hoc facinus, aut flagitium, sed uero Christiano summum gaudium: non est, inquam, facinus, aut flagitium carnem Christi manducare, nam hoc ipse præcepit. Quòd igitur dicit, quæ de carne & sanguine Domini apud Ioannem scribuntur, figuratè dici, fit, uel quia caro & sanguis spirituale corpus sit, quod more ciborum communium non discerpitur, uel quia sub tegumentis, seu aliena specie, inuisibile lateat, uel denique quòd ipsa sumptio symbolica sit, & figuralis manducatio. At ipsum quod manducatur, corpus est, & sanguis in ueritate, ut sit facinus & flagitium in ipso manducãdi modo: nempe (ut iam dictum est) humanas carnes, sine spiritu mortuas, quomodo in macello uenduntur, easdémque, ut elixas uel assas, pecudum instar, per partes uorare. Illud est facinus altari nocens, illud fla-

Augustinus.

Sumptio corporis, & sanguinis Dominici, symbolũ est mystici corporis, cõiuncti capiti Christo.

gitium, flagris dignum, quomodo Capharnaïtæ, sicut ille dicit, Christum interpretabantur, quomodo etiam incredulis uidetur iubere: & proinde, hactenus quidem figurata loquutio est, præcipiens ad ædificandum charitatis regnum, spiritu communicandũ esse passioni Domini, & suauiter, & utiliter in memoria recõdendum, quòd pro nobis caro eius sit uulnerata & crucifixa: cui quidem passioni Domini, quia in Christianis, quidam non communicant, neque uulneratæ, & crucifixæ carnis, dignã intra se memoriam peragunt, fit, ut cum ipsi eam indignè accipiant, etiam flagitium, quod dicit, & facinus ingens, suo exitio, uolentes committant. eandem enim & illi manducant, sicut ipse Augustinus sæpè attestatur, & nos idem superius, multis probauimus. Fit itaq; ut utraque manducatio, & spiritualis, qua crucifixum sedulo meditamur, & corporalis, qua eiusdem crucifixi caro uerè assumitur, rectè unà peragatur: atque id demum uerè est sumere, sed in sacramento. Hoc enim, ut dixi, desiderabile, illud execrabile omni homini, nedum Christiano. NEOPH. Et illi simul huic applaudunt: fatentur enim, uerum corpus, & sanguinẽ uerè adesse, sed in mysterio, uerè à nobis hæc hauriri, sed in sacramẽto. Neque ullũ sermonis genus, quantumuis expressum, aspernantur, ne realem quidem, aut substantialem præsentiam, modo illud addas, in sacramento. ORTH. O potens sacramenti uocabulũ, absque scriptura tamen (quod solum, apud eos, uicisse est.) ut enim Eucharistiam significet, nusquam ibi repe-

reperies. Hæc, hæc est bipēnis illa, qua etiā herculeos nodos (ut sibi uidentur) dissecant, & dissoluunt. Verū tu quidem affatim illorū præceptis & doctrinis imbutus uideris. NEOPH. Non quòd cordi est. ORT. Credo. & hæc impia hęreticorum fraus est, iam olim (& maximè quidem in Arrianis) usurpata, ut similia catholicis loquantur, dissimilia sentiāt. Sed iam istas nubes, quibus simpliciores inuoluunt, dispellamus. sic enim (ut uerè dicis) perpetuò nectunt, ut quotiescunque uel mysterij, uel sacramenti nomen occurrat, statim colligunt, ibi corpus non reuera adesse, sed in figura. Hęccine consecutio ualida? hæccine mysterij natura? It á ne pugnat cum re sacramentum, seu mysterium, ut si mysterium sit, continuò rem esse desierit? Quin Christus ipse mysterium est, si D. Paulo credimus, & expressa imago patris. Nemo tamen tam impius, qui non credit ueram patris substantiam sub hac imagine latere. Etiam natiuitas Christi, mors, lateris in cruce apertio, sepultura, & resurrectio sacramenta sunt, nunquid ideo non uerè facta? aut propterea nihil aliud erant quàm sacramenta, hoc est, sacrarum rerum signa? Sic Eucharistiam sacramentum, uel mysterium dicimus, quod est simul panis uiuus, & caro, quia istorum secretam & reconditam in se naturam habet. Hoc in cæteris sacramentis uidere licet. Siquidem in baptismo aqua signum est, seu figura. Dic cuius rei? Absentis ne gratiæ? NEOPH. Nō, sed quammaximè præsentis, qua à peccato prorsus mūdatur anima. ORTHO. Rectè catechismum memo-

Reticentia.

Isych. li. 2. ca. 8.

ras. Hoc enim externa lotio designat, interiorem scilicet mundiciem. Quamobrem, sicut in baptismo, cũ signo externo internam salutem tam operatur, & exhibet Dominus, quã promittit, ita sub sacramẽto ipsum corpus suũ nobis reipsa edẽdũ proponit, & sanguinẽ suũ bibendũ misericorditer præbet. Atqui, suprà dissolutũ est hoc sophisma, si animaduertisti. Verũ quum in uno sacramenti uocabulo tantũ fiduciæ (rectius dixerim astutiæ) ponant hi, qui nisi expressas scripturas non admittunt, illud ex scripturis probẽt, Eucharistiam appellari sacramentum. Christus non dicit, hoc est sacramentũ corporis mei, neq; hoc sanguinis mei symbolũ, sed planè, hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus. Vbi isti legunt, hoc non est corpus meum, sed corporis mei signum? Hic non est sanguis meus, sed figura sanguinis? Iam hîc confugiunt ad patres, quos ipsi, quoties libet, exufflant. Nos illorũ hîc uestigia subsequentes, scripturas appellamus, utcunque torquent, inuoluunt, ac fucant omnia, nullũ locũ illic adducant, qui loquatur uel non esse corpus, uel corporis sacramentum. NEOPH. Cogêris uel inuitus hoc fateri. Siquidem Orthodoxi omnes, à quibus non soles libenter dissentire, uno ore fatentur sacramentum dici. ORTHO. Scio, neque diffiteor: tamẽ quia cum illis agimus, qui eos pro arbitratu suo respuunt, non debent hinc suppetias petere, neque inde causæ suæ fundamenta iacere, aut ab usu loquendi sumere argumenta. Nam quia in eo uerbo latebras quærunt, ut imperitis & simplicibus facilius imponant,

Eras. Rot.

nant, præstiterit fortasse omnem istam loquendi libertatem illis penitus amputare, quousque ex diuinis literis hanc basim, cui innituntur, persuaserint. Quod sanè eo iustius cum illis quis fecerit, quò imprudentius in cæteris omnibus idem ipsi faciunt, à nobis petunt,& efflagitant, tametsi aliàs eam uocem, iuxta catholicum intellectum,quem diffugiunt,nulli improbamus. Quia tamen isti solùm expressa spiritus sancti oracula,ut dixi,amplectuntur,si eorum iure in argumentando abutimur,factum à nobis iniustè, iustè quæri haud possunt. Sed ad Tertullianum reuertamur,quem perspicis istorum causam nihil iuuare,utcunque de figura se iactāt.Præterquam enim, quòd uerbo,Dominum panem corpus suum fecisse, suum sanguinem in uino consecrauisse,inque calicis mentione,testamētum suum constituisse, quamclarissimè affirmat, audi porrò quàm breuiter & dilucidè catholicam de Eucharistia sententiam explicuit. Libro enim secundo ad uxorem sic scribit: Non sciet maritus,quid secretò ante omnem cibum gustes ? Et si sciuerit,panē non illum credit esse,qui dicitur. Alloquitur ille uxorem suam, hoc ei amanter, ut Christianum decet,consulens,ut si prior ipse è uiuis excesserit,ne denuò cuipiā nubat, aut si hoc nolit, ne Gētili(quòd tunc quædam solebant) patiatur se coniungi. Nam etsi(quod Paulus uetat) hoc ei licere existimauerit,non expedire tamen multis argumentis pręclarè commonstrat. Ex quibus præcipuum ferè, & ueluti caput est,quòd non possit, inspiciente marito,

panem uitæ Eucharistiam dico, accipere: sic itaque, siue eam à secundis nuptiis (qui eius error fuerat) deterreat, siue hoc ei amanter, ut dixi, consulat (neque enim id nunc agimus) sic, inquam, illam alloquitur. An arbitrare, ô uxor, ita gesturam te, ut clam uiro sint quæ facis? Non sciet ille, quid secreto ante omnem cibum gustes? Vbi inter hunc panem, & (qui aliàs sumitur) omnem cibum, pulchrum animaduertas antitheton: quo præclarè innuit, alterius, lõgéq; discrepantis generis esse, ab omni communi cibo, id, quod manè gustatur. Precor te, si panis communis est, quid tanta cautione opus fuerit, ne sciat? Cur non liceat prophano intueri, dum panem edat? Quid autem si interueniat? Quid si per rimam aliquam fortè aspiciat, aut sciat? Enimuero, inquit, panem non illum credit esse qui dicitur. Viro infideli panis est, nobis uerò corpus Christi dicitur: hoc si marito dixeris, nullam fidem adhibebit. non credet, inquit: fide ergo opus est, ut credat esse quod dicitur. Dicitur corpus Domini, & sicut dicitur, ita credendum est esse: & propterea, qui non illum credit esse (non dicit significare) qui, inquam, esse illum nõ credit, quod dicitur,
1 infidelis meritò, quisquis ille, & est, & dicitur. Vbi uides, etiam tum dominici corporis sacramẽtum seorsum adsumi, quod illi sine aliis communicantibus
2 omninò haud licere affirmant. Vides rursus, illud à ieiunis accipi, ante omnem cibum: id quod pro su-
3 perstitione quadam habent. Deinde, quod pro flagitio ducũt, uides sub una specie cõmunicantis exem-
plum.

plum. Vides denique, contra eos reseruatam Eucharistiam. Vsque adeò fœcũdus est unus Tertullianus, ut (præter sacramẽti ueritatem, quam cum Catholicis tuetur) hac una sententia, breui quidem illa, istorum dogmatistarum, quatuor simul errores pulchrè nobis aperuerit. Neque sanè alia ratione magis probat Tertullianus, carnem nostram participem fore salutis, quàm quòd ipsa, ut uerè in baptismo abluitur, ita etiam corpore & sanguine Christi uerè in Eucharistia uescitur. Nonnulla in hoc authore adhuc supersunt, sed abundè sufficiunt ista ad ueritatem declarãdam, ut nihil in eo habeat determinatio firmamenti, in quo securè conquiescat. Hîc iam, rhetoricæ suæ lectionis memor, imbecilla quæque medio orationis infarcit. Huc citatur Theodoretus, Chrysostomus, Gelasius, Isychius: & quis non? NEOPH. Meminit & ante istos Ignatij. ORTHO. Verum: sed iamdiu eius rationis tædet, idcirco est panis, quia sic appellatur. Nam & idem Ignatius, ut quis esset ille panis, demõstret, unum illum pro omnibus confractum asserit. Quis autem est ille confractus pro omnibus, nisi panis Dei, ut idem loquitur, panis cælestis uitæ, qui est caro Iesu Christi, qui natus est ex semine Abrahæ? & potus ille, sanguis eius est, ut mirũ mihi sit, quo uultu, aut qua fronte audax determinator Ignatium hîc proferat, qui totam hanc malè sartam fabricam, uel hac unica sententiola, uelut cuniculo subruit, ac penitus subuertit, nisi unius dictiunculæ sono, & panis nomine, iustissimam causam extinguere, atque op-

primere potuisse se putet. Ad illos autē omnes, quos intermedios (quia medium sortiti sunt locum) nominamus, semel dictum sit, in hoc iuuare causam nostram, si recipimus, suam expugnare, quòd apertissimè ipsum corpus, & non solùm corporis uirtutem adesse loquuntur, duntaxat in hoc illis primo intuitu fauere, quòd panis substantiam relinquere uideātur. Istud arripiunt, illud artificiosè dissimulant. Ergo nō integrè, sed dimidiatè eius sententiam confirmant, si tamen dimidiatè. Sed quid tandem ait is (quem tantopere iactant) Theodoretus? Nempe signa (externa inquam) manere, neque recedere à sua natura, etiam post sanctificationem. Quod cum eo fatētur Catholici, sed præterea, ut hoc mysterium intus (quod aiūt) & in cute plenius intelligas, exigit intellectum, quem captiuare oportet in obsequiū fidei, cui nequit subesse falsum. Neque enim geometrica, aut inani quadā speculatione res non existentes intelligit, sed quod solo intellectu in uerbo Dei percepit, tametsi sensus eò minimè pertingant, existere tamen credidit, & quod præsens credidit, adorauit. Quod ipsum (quando sit honor soli Deo debitus) uel pani, uel speciebus omninò haud competit. neque enim signa, quæ dicit, mystica ullus rectè adorauit unquam, sed quod sub tegumētis est, corpus Christi, totúsq; adeò Christus. Hoc intellexit, hoc credidit, hoc docuit, hoc fecit Theodoretus ille, hactenus Orthodoxus. Quum igitur, quod est in re controuersa summum, & maximè illustre, contra aduersarios, hic nobiscum profiteatur,

fiteatur, quid aliud in eo cuiquam facere uideantur, quàm cornicum oculos(quod est prouerbio) libēter uelle configere, uidentes uolentésque pugnas uerborum insequi, & contentiones ad subuersionem audientium indies magis magísque ex uoculis, & syllabis, re neglecta, excitare? NEOPH. At ipsam panis & uini substantiam à sanctificatione manere, ex hoc præterea urgebant. ORTHO. Et de eo iam sæpè dictū est, & post etiam suo loco attingam. Porrò, magni facit determinatio, & usque ad cælum effert, quod scripsit Chrysostomus ad Cæsarium, nescio quem monachum, sed ne ea nouit quidem. Non enim inter ulla eius opera, quæ extant(quod scimus) hoc fragmentum existit. Neq; debet hic assutus pannus, & illi fortè affictus, tam præclaris, tam certis, tam perspicuis testimoniis, qualia ex eodem, iam multa produximus, quicquam præiudicare. Quanquam neque in isto loco (etiamsi illi attribuamus) quicquam habet, quod non catholica ueritate undique consentiat, nisi uiolenta interpretatione illum perstringere, & in alienam sententiam deducere, ac cogere uelimus. nam quòd de manente panis natura dicere uideatur, id libenter accipimus, quatenus scilicet tractatur manibus, oculis cernitur, gustu dignoscitur, & cæterorum membrorum officiis sentitur. Sed ne eadem usq; repetendo simus tædio, hæc iam intermissa faciamus. Ad Gelasium quid dicam? illis, si quando D Clementis, Leonis, Ruperti, aut illiusmodi piorum hominū dictis arguantur, satis est respōsi, quòd fuerat Roma-

nus, Abbas, Monachus. quibus si uel unius Episcopi nomen addere libuisset, utique iam uicissent. Verũ, si nobis pro suo candore hîc idem permiserint, iam responsum est. Sed ad rem. Multis causis adducor, cur hanc authoritatem nihili putem. Primùm quòd ueluti pannus quispiam sit, abrupto, ne dicam inepto, principio. Nemo enim prudens ita opus exorditur. Necessarium quoque fuit, quòd quidem fragmentũ hic iam integrum ob oculos posuissem, nisi iamdudum lippis (quod aiunt) & tonsoribus tritum esset. Sed neque, an Gelasij sit, hactenus liquet. Nam in receptis eius operibus nusquam inuenies, quòd equidẽ scio. Atqui, si illius esset quammaximè, cum sit descriptum psegma, ut uides, nihil fixum, nihil solidũ, aut stabile ex eo constitui queat. Iam uerò, quod exẽplaria non conueniant, incertitudinis, ne quid aliud dicam, haud leue indicium est. Enimuerò longè aliter recitat Oecolampadius, quã est in Antidoto, unde originem habet. Taceo hîc solœcismum. utcunque torquet, mutat, addit, qua re nihil fœdius, quod cupit tamen, nunquam efficiet. Nam iisdem hisce uerbis (si ea recipimus) perspicuè ostenditur, panem & uinũ, spiritu sancto perficiente, transire in diuinã substãtiã, hæc autẽ nulla alia esse potest, quã ipsa caro Domini Iesu. Semel audis trãsire substantiã panis in diuinã substãtiã, & non desinere audis rursus, ídq; in eadem sententia. Sanè uerò, idem manere, & transire, nemo rectè dixerit. Quòd itaque dicit substantiam panis, uel uini, siue naturam non desinere, non ita intelligit,

intelligit, ut à consecratione in priori maneant, siquidē, ut antea dixi, (prolato Domini uerbo) in aliā substantiam, nempe diuinam, ea transire indubitanter affirmat. Neque prætermittendum, quod dicit, esse non desinit substātia, uel natura panis & uini: ubi, illa disiunctiua manifestè aperit suo instituto, contra Eutichen abundè satis esse, quòd natura externa panis & uini (hoc est, cum cæteris suis qualitatibus, demensiones, quod utique natura est) in Eucharistia permaneat. Quin & ipse, ne quid calumnientur nos alium quærere interpretem, quid per substantiā uelit, euidenter explicat, dum ea (panem dico & uinum) in proprietate suæ naturæ manere dicat. Ergo, per substantiam & naturam, substantiales, ut ita dicam, & naturales quasdam panis & uini proprietates, cum eo ipso intelligimus. Ad quē modū intellige Theodoretum, autorem parum secundæ famæ. NEO. Habetur tamen in primis doctus. ORTHO. Neque ego eum aliàs negligo, tametsi ita loquor. NEOPH. Si igitur panis substantiam non manere dixeris, nihil aduersus Eutichen quicquam agitur. Huc enim totius rationis pondus incumbit, quod negligere summa iniuria est tanti uiri, ne dicam contēptus. ORTHO. Hoc quidem nobis indignè obiiciunt ij, qui ne sanctissimorum quidem patrum decretis ullibi teneri uolunt. Sed quid periculi magis imminet hac in parte Theodoreti sermonis scopum non tenere, quàm, uel aliorum, uel ipsius adeò ubique rationibus non constringi? Ipse enim in 3. dialogo, quem uocat ima-

Theodoretus.

patibilem, eundem Eutichen uicisse se putat, & Christum uerum corpus etiãnum habere, quòd Stephanus eum uiderit post assumptionem: quum alij Orthodoxi patres Dominum in uisione ostensum Stephano affirment, ut non magis corpore uideatur indutus, quàm tum, cum Moysi, Abrahamo, aut cęteris patribus fuerat ostensus. Atque hæc, inquam, ita disserimus, quasi illis occurrentes, quibus, si quem fortè exaduerso constare aspexerint, hoc modo respondere solenne est. Sed de hoc etiam postea. Venio ad Isychium, qui mysterium hoc, cum corpore Christi ita comparat, ut sicut Christus, ueræ carnis simul cum deitate particeps fuerit, ita habet & hoc sacramentũ, præter naturales, quas dixi, proprietates, ut sit simul panis uiuus, qui de cælo descendit, & item caro. Siquidem in Leuitico, ubi carnes ante fores tabernaculi, & panes cõsecrationis comedere præcepit Deus, ita scripsit: Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia spiritus? Nullam quippe dubietatem huiusmodi intellectui dereliquit: propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus illud ab eo dici mysterium, quòd simul panis & caro est. Ecce Isychius cœnam dominicam (de ea enim ibi loquitur) appellat mysterium, quod simul panis est & caro. Et ut manifestè intelligas, cuiusmodi sit hæc caro, & qualis ille panis, ipse se explicans addit: Sicut corpus Christi panis uiui, qui de cælo descẽdit. Quasi dicat, non nudi hominis est caro, quæ hîc manducatur, sed est corpus seu caro panis uiui, id est, uerbi

Isychius lib. 2. cap. 8.

Dei:

Dei: ita ut in hoc myſterio, ſint ſimul caro, & panis, hoc eſt corpus Chriſti, & panis ille uiuus qui de cælo deſcendit. Quod ipſum præterea, ex noſtri, & ipſorũ comparatione, qui ſub lege fuerunt, adhuc apertius liquebit. Habebant enim illi carnes, ſed carnales, ſeu mortuas: habebãt ſimiliter & panes, ſed triticeos ſeu communes, quæ minimè diſiuncta manducabant: habemus & nos, nimirum in Euchariſtia (in cuius olim memoriam ſic illi ueſcebantur) carnem uiuam: habemus item panem, ſed uiuum, qui utique (ut Iſychius explicat) de cælo deſcendit. Hic ille eſt panis, hæc illa eſt caro, nempe Dei: unde & panis pani & caro carni in comeſtione, pulchrè admodum, atque appoſitè, & ſuccedit, & reſpondet. Habes tandem quomodo Iſychius panem nominat. Idem lib. ſexto de comedentibus ſanctificata per ignorantiam ait: Sancta ſanctorum ſunt propriè Chriſti myſteria, quia ipſius eſt corpus, de quo Gabriel ad uirginem dicebat: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideò quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius Dei. Sed & Eſaias, Sanctus Dominus, & in altis habitat, in ſinu uidelicet patris. Ab hoc enim nõ ſolum alienigenas, & inquilinos, & mercenarios, ſacrificij prohibuit, ſed nec per ignorãtiam percipere præcepit: per ignorantiam autem percipit, qui uirtutem eius, & dignitatem ignorat, qui neſcit, quia corpus hoc, & ſanguis eſt ſecundum ueritatem, ſed myſteria quidem percipit, neſcit autem myſteriorum uirtutem. Hæc omnia Iſychius. Vbi primùm, quid ſint hæc myſteria, deinde à quibus ſu-

Auguſtinus.

menda, postremò qui sunt, qui per ignorantiam ea sumunt, breuiter & apertè explicuit. Hæc ergo non alia ratione propriè Christi mysteria affirmat, quàm quòd ipsius est corpus. Enimuerò alia sunt, & multa, & magna Christi mysteria: sed hęc, inquit, propriè & peculiariter illius sunt, quia in his est ipsum corpus Christi, illud dicit corpus, de quo Gabriel ad uirginẽ, &c. Ab hoc sacrificij meritò prohibentur alienigenæ, ut qui aliena à dignitate tanti mysterij intelligunt, qui, ut ad communem cibum, ita ad diuinum (ait) accedunt, carnaliter diuina & cælestia conspicientes, quod faciunt hi, qui carneis solummodo oculis externa panis & uini intuentes, diuinam subesse substantiam non credunt, nec uenerãtur. Inquilinos autem ac mercenarios arceri, quid est aliud, quã quod Apostolus grauiter minatur, & commonet, ne qui accedant, nisi probati & puri, quíque huius mysterij ignorantia non laborauerint? per ignorantiam enim percipit, non solùm qui uirtutem eius, & dignitatem ignorant, sed qui nescit, quia corpus hoc, & sanguis est secundum ueritatem. Ecce tibi. quasi enim digito demonstrans dixit, hoc nempe, quod in sacramento est, corpus, & item sanguis non fictè, aut participatione fidei solùm, sed reipsa, & secundum ueritatem adsunt. Iam qui alios omnes ignorantiæ, & cæcitatis arguunt, huc conuertant oculos, & uideant, adhibeant mentem, & intelligant, quòd ipsi sunt cæci, quòd ipsi turpiter ignorant, & ignorantes percipiunt mysteria, quia nesciunt mysteriorum uirtutem, quia

nesciunt,

nesciunt, aut potius nescire uolunt, corpus Christi & sanguinẽ, sacramento inesse secundũ ueritatem. Ergo authore Isychio, conuincuntur, neq; ueritatẽ mysteriorũ, neq; uirtutẽ quã iactãt, cognoscere. Faxit Deus, ut aliquãdo isto errore, & perniciosa ignorãtia exuãtur. Fiet autem, si quod apud Moysen sequitur, quintam addent: quinta enim parte addita, omnis ignorãtia statim tollitur, nẽpe sermo, ut inquit Isychius, qui prolatus est ab ipso Christo super dominicum mysterium, ipse liberat nos ab ignorantia, remouet nos additus, carnale quippiam, & terrenum de sanctis arbitrari, sed diuinè ea, & spiritualiter accipi sancit, quod propriè quinta nominatur. Hæc ille. Ex quo uides, quòd sermo Christi, quem in cœna super panẽ & uinum protulit (nẽpe, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus) quo esse corpus & sanguinem suũ confirmauit, ab ignoranti perceptione nos liberat. Idcirco docet nos sermo iste. Verũ, si istos sequamur, quod absit, nequaquam ab ignorantia, sed planè in ignorantiam, & tenebras plusquã cimmerias, recta nos ducet: ideóque, contemptis hominum glossematis, spiritum sanctum in suo presbytero loquentem audiamus: qui hoc sermone doceri nos, ac liberari ab ignorantia clarissimè affirmauit. Ignarũ autem istius mysterij eum esse, ignorantérque percipere, qui uirtutem, qui dignitatem, qui deniq; corpus hoc illius esse secundum ueritatem nescit, iam antè exposuerat. Ignorantia itaq; semel, per uerbum Dei, exclusa, incipimus, ut ait, non sicut prius oblata habere, neq;

iam carnaliter (ut olim Capharnaïtæ) de ſanctis, quæ ualdè ſuperna ſunt, & cunctum excedunt ſenſum, quicquam ſuſpicari, ſed huius myſtici ſacrificij ſanctificationem, tranſlationem, ſeu commutationem ſoli Chriſto acceptam referentes, & ipſi ſoli (qui per ſuam uirtutem, & prolatum ab eo uerbum, longè ſupra omnem ſenſum commutat) hoc miraculum, ut idem loquitur, imputantes, diuinè, & ſpiritualiter ſancta ſanctorum comedimus, humilitérque ſicut ad myſticum, & terribile, & cæleſte accedentes, diuinũ cibum accipimus: quem qui temerè accipiunt, non ſimpliciter peccare, ſed iniquitatem delicti ſui, quod propriè in Deum cõmittitur, portare dicit. Quo fit, ut impij ſint, & iudicium (quod Paulus dicit) ſuo tẽpore accipiant, non quidem temporale, aut correptionis ſolùm in hoc mundo (ut quidam affirmant) ſed æternum, rei nimirum corporis & ſanguinis Domini. Hactenus Iſychium ueluti per tranſennam uidiſti, quem ſi amplius in lucem proferre temporis ratio permitteret: NEOPH. Satis eſt: uſque adeò enim in his paucis catholicam ſententiam manifeſtè expreſſit, ut mirum mihi ſit, quomodo auſa eſt determinatio hunc teſtem introducere, tanquam ſuæ partis aſſertorem, quum tam perſpicuè, non uno in loco eam expugnet, & catholicæ ueritatis tã inſignis propugnator, ac ſtrenuus ubique exiſtat. ORTHO. Hîc ſicubi aliàs, aliena iecit Coryphæus ille, quæ tamen, ſua uafritie, corrigere molitur: ſed non immorabor. Habent præterea iſtius ueritatis aduerſarij, ſuffugium,

Lib. 6. ca. 22.

Bucerus, etc.

Apoſiopeſis.

Oecolamp. in dialogo.

fugium,quo eodem,quum ſit illis proprium,ſi nunc contra illos utamur, malo nodo, malè quæſitum cuneum dicant,iniuriam factam non dicant.NEOPH. Non aſſequor.ORTHO.Faciam,ut mox intelligas.Si quando obiiciantur illis Theophylactus, Damaſcenus,& cæteri,continuò(ut ſunt impudentia) clamant homines nullius ingenij,nullij iudicij, in cõplura,& ſuperſtitioſa hominũ inuenta impegiſſe,ſæpius falſa, ficta,& uana edidiſſe.Iam ſi eadem hæc, aut maiora, ipſiſmet iudicibus,in Theodoreto ſuo deprehendantur, nónne hic dignus,qui ſimiliter decuti uideatur? NEOPH. Aequa ratio eſt.ORTH.Theodoretus iſte inſigne opus edidit de curatione Græcarum affectionum. Is in octauo libro,quem de Martyribus inſcripſit,uenerationem ſanctorum agnoſcit,quorum precibus(ut ait) laborantibus animis, & ægrotis corporib ſuccurritur. Atq; hoc ipſum uariis modis effert. Primùm eos probat,qui iſtorum nomine magnificas ædes extruunt, deinde quòd orant, quòd expoſcunt ab eis in ualetudine conſeruari, quòd ab eiſdem ſteriles uiri & mulieres dari ſibi liberos petunt,quòd iã natis, eorum nomina imponi curant, ita cuſtodiam illis, tutelámque certiſſimam comparantes,quòd cũ proficiſcantur aliquò, petũt martyres ſui itineris duces. Deniq; eos laudat,quòd oculorum,pedum, manuum ſimulachra appẽdunt, neque laudat tantùm, uerumetiam haud impiè facta, & Deo non ingrata eſſe contendit.Verùm,longum eſt,quæ in memorato opere inſeruit,omnia recenſere.Iſtiuſmodi,ſi ſan-

nis,ac dicteriis in aliis excipiunt, & magnis ſpiritibus exufflant,cur eadem in ſuis probant ? uel ad iſta fortè conniuent , & ſunt ſuo iudicio corrupti , uel intueri non poſſunt,& ſunt cæci , uel ſi animaduertunt & tacent,ſunt peraſtuti. NEOPH. Clauum,quod aiũt,clauo pepuliſti probè. ORTH. Poſſemus & nos,eadem omnino ratione,Origenem,Tertullianum,& imperfecti operis authorem,in quibus ſua firmamenta ſtatuunt,ab hac cauſa depellere. Sed hoc argumentandi genus mihi nunquam placuit,niſi quod uideam iſtos ſuper modũ eo delectari,ut ſi uel neuus aliquis apud quempiam fortè repertus fuerit , illius teſtimonium (cum contrà affertur) pleno ore ſtatim reiiciant . Idcirco par pari referre ſtudeo, quod tamen nobis fraudi eſſe nolumus. Sed fac ita eſſe,ut determinationi placet , nempe quòd Theodoretus , cum Iſychio & Gelaſio,panẽ dicat manere,hoc Sole clarius eſt,quòd hi omnes ueram Chriſti carnem , & ſanguinem reipſa hoc myſterio ineſſe fateantur , quod iſti negant. Demus iterum eſſe integros teſtes , quod non ſunt. Quis neſcit ueteres quandoque cum uenia legẽdos, & humanum quid nonnunquã paſſos eſſe, maximè, ubi à conſenſu diſceſſerint,uel cùm Eccleſia ſuper iis, quæ diſſerunt,nondum pronuntiarit apertius : quod in Cypriano , ſalua fidei compage , & ſine hæreſeos nota deprehendit Auguſtinus.Idem ſi accidit Theodoreto,quid nobis poſthac eum obiiciant, qui (præterquàm quòd maculatum Arriana hæreſi conſtat) etiam aliàs ſuos neuos habet.Et proinde haud malus

rerum

rerum æstimator is, qui sic monuit, ut si quid fortè exciderit alicui ex patribus prioris ætatis, quod non comprobarent ea ætate synchroni reliqui, neque itē receperunt media, & ultima ætas, non esse Ecclesiasticum dogma. Enimuerò nimium leuis sit oportet, qui cōmunem Ecclesiæ cōsensum dixerit potuisse huius unius cuiuspiam, uel illius priuata, ac uariabili opinione labefactari. Et hic (si Diis placet) Bertramus cōtra nos introducitur. NEOPH. Næ isti magnis angustiis cōstringuntur, & extrema penuria laborant, qui huc adiguntur, ut tales producant, quos ipsi aliàs pernegant. ORTHO. Nullius testimonium prætereunt isti, ne infimi quidem nominis, unde uel tantillum corradere queant, sed quemuis, etiam infimæ sortis authorem, dum à se stare putant, dicunt summum, sanctissimum, sapientissimum: at iisdem, ubi ex patribus quempiam fortè citamus, qui aduersari uideatur, protinus liber aut falsò inscribitur, aut nescio quid humanum patitur, aut aliquid huiusmodi. Sed & in hoc frustratur sua spe: quod tum demū melius intelligas, si noris quid ipse per figuram, & ueritatem intelligit. Fuerunt enim, eius ætate, quod uel ex eo liquet, qui affirmarent, nihil hîc in secreto latere, mysterium non esse, sed totum quicquid est, uisibiliter, & sub aspectu geri. Hunc scopum, iterum, iterúmq; in Bertramo obserua, & inter legendum diligenter animaduerte. Ita & iucundior, & facilior erit lectio. Nihil enim ferè in eo usquam occurrit, quod non ad amussim cum Catholica sententia quadret. Quid

Villilzius.

Bertramus.

enim clarius à quoquã dici poteſt, quàm ſubſtãtiam panis per ſacerdotis myſterium, Chriſti corpus effici, inque id permutari? Idem rurſus alicubi, panis & uini creaturam in propriũ Chriſti corpus, quod paſſum eſt, & in ſuum ſanguinem conuerti affirmat, & ſimiliter complurima. Quòd ſi ſanorum uerborum formam ubique non habeat, ſeu aliquid in progreſſu aſſerat, alitérue, quàm poſtulat regula fidei (qua in re minimè contẽdo) certè tantorum patrum conſenſu, quem antea prænotauimus, hic unus recentior, præiudicare nequaquam debet, neque poteſt. Et hactenus quidem ad ea, quæ ex antiquioribus pro aduerſa parte producũt, abundè, ut puto, reſpõſum eſt. Quod dũ agitur, hora nimium decurrit: quamobrẽ, & nos, quæ in tertio firmamento dicta ſunt, nunc percurramus. In hoc, quò locus calumniæ magis detur, rationem ſacramenti affingit, quæ niſi panis & uini ſubſtantiæ maneant, nequit conſiſtere. Hîc rurſus monẽdi ſunt, ut hanc baſim, quam ſine ſcriptura ubique iactitant, & obiiciunt, ex ſcripturis probent: alioqui ob cauſas ſuprà à nobis redditas, uſque negamus. At ne timidi ſub hoc umbone deliteſcere uideamur, iſtã ſuam analogiam, quam in conuerſione, unitate, ac nutritione fingunt, excutiamus. NEOPH. Quænam ea eſt? ORTHO. Vt ſicut hic panis, & uinum, dum manducamus, in noſtræ carnis ſubſtantiam, conuertũtur, ita & nos contrà, dum obedienter, & piè uiuimus, in corpus Chriſti conuertimur. Et ſicut ex plurimis granis conficitur panis unus, ſic & nos unum corpus

Tertium firmamentum ſubruitur.

Conuerſio.

Vnio.

corpus in Christo. Postremò, quemadmodum Christi caro pascit animam, simili ratione, panem & uinũ in sacramẽto corpus humanum nutrire contendunt. Quæ omnia propterea necessariò statuunt, ut ei rei sacramentum respondeat, cuius est sacramẽtum, nullum alioqui futurũ. Ad hæc iam responsum est, quòd istam sacramenti conuersionem, uel istiusmodi ex eo nutritionẽ Ecclesia Catholica nõ agnouit. Agnoscit autem, non aliud, quàm corpus & sanguinem sponsi sui, quorum particeps effecta, non ea mutat in corpus humanum, neque nutritur ex illis, uelut aliquo alio cibo, sed ipsa in illa mutatur, iisdémque quo ipse nouit modo, alitur, uincentibus, quæ sunt præstantiora, perinde ut ignis ferrum. Hoc enim ab igne inflammatum, non ferri, sed ignis speciem præ se fert, ferri proprietatibus (ut Cabasila loquitur) omninò ab igne deletis: ita etiam Christi Ecclesiam, eò quòd ei unita est, & sancta illius carne pasta, si quis uidere posset, nihil aliud uideret, quàm ipsum corpus Domini. Hæc eius caro, & sanguis, datur quidem per corpus, sed primùm peruadit in animæ substantiam, & per animam, in corpus transmittitur. Quod Apostolus significauit dicens, Qui adhæret Domino unus est spiritus: utpotè quòd in anima primò & principaliter hæc unio & coniunctio consistat: quã solus operatur qui est omnipotens, nec qua ratione operatur, potest humano ingenio inueniri. Neque tamen hîc negamus analogiam, sed planè eam cum Orthodoxis statuimus, quæ ad corpus Christi, & uni-

Nutritio.

Nico. Cabas. cap. 38.

Nico. Cabas. cap. 44.

tatem Ecclesiæ, rem sacramenti, repræsentãdam perapposita esse uideatur: speciẽ, dico, & externam panis & uini formam, quam etiamnum retinent: in quibus est fractio, & diuisio passi corporis, & sanguinis effusi, idonea symbola. Est præterea insignis conuenientia, & similitudo: ut enim sensus noster uero sapore dulciter mouetur, ita mens pia, corporis Domini, quod iam præsens esse credit, indicibili quadam suauitate afficitur. Et (ut ex ipsis etiam rebus uera ducatur analogia) quid uetat, quo minus unionis, aut nutritionis similitudo, ante consecrationem sit, & in communi panis natura, ut sicut illum panem, quem quotidie edimus, in nostræ carnis unam substantiam naturaliter mutari deprehendimus, ita eiusdem panis naturam, in unam corporis Christi substantiam transire mirabili Dei potentia, credamus: & sicut cõmunis ille solet alere corpora physicè, sic uiuus iste panis, qui sub tegumentis est, nutrit hominem diuinè. Quam rem haud obscurè Cyprianus aperuit, dũ propter nutrimenti congruentiam, panem appellat. Enimuerò panis iste hanc congruentiam uel similitudinem non haberet, nisi alterius generis, alterius atque adeò diuersæ naturæ esset. Quo fit, ut non sit panis communis, seu triticeus. Comparatio enim, nõ eiusdem, sed diuersorum in unum aliquod collatio, ut sit, necesse est. Præterea, sicut, inquit, panis communis, quem quotidie edimus, uita est corporis, ita panis iste supersubstantialis uita est animæ, & sanitas mentis. Ausculta quod dicit, Quem quotidie edimus,

Cypria. de cœna Domini.

mus,qui communis eſt.& rurſus:Panis iſte ſuperſubſtantialis, qui triticeus non eſt,neq; ex ullis granis factus. Iſtum dicit, ne de abſente corpore quicquam uanè ſomnies:iſtum dicit,qui eſt caro Chriſti,in hoc ſacramento præſens: quæ duo (nempe, eum panem, quem quotidie edimus,& iſtum in altari præſentem) inuicem componit. Ex quo uides alterũ nutrire corpus, alterum magis animam, & hanc nutritionis ſimilitudinem exprimi, ad eum panem, quẽ quotidie edimus,qui ſacramentum non eſt. Idem de calice ſic ſcribit: Quemadmodum uino iſto communi, mens ſoluitur, & anima relaxatur, & triſtitia omnis exponitur,ita & potato ſanguine Domini, & poculo ſalutari,exponatur memoria ueteris hominis,& fiat obliuio conuerſationis priſtinæ ſecularis,& mœſtum pectus,ac triſte,quod prius peccatis augentibus premebatur,diuinæ indulgentię lætitia reſoluatur:quod tũc demum poteſt lætificare in Eccleſia Domini bibentem, ſi quod bibitur, dominicam teneat ueritatem. Hæc Cyprianus. Aduerte de communi uino locutũ, quod quidem ſacramentum non eſt, ſed nec ipſi ita appellant,ut nec communem panem. Rectè itaque, etiam Cypriano authore, ante conſecrationem hanc analogiam fieri dixerit aliquis: cui ſuccinit Chryſoſtomus in hæc uerba:hoc ſacrificium cibus ſpiritualis eſt. Nam ſicut corporalis cibus cum uentrem inuenerit aduerſis humoribus occupatum, & amplius lædit, magis nocet, & nullum præſtat auxilium: ita & iſte ſpiritualis cibus,ſi aliquem repererit malignitate

Cypria.lib.2. epiſt.3.

Chryſoſt. de prod.Iudæ.

pollutum, magis eum perdet, non ſua natura, ſed accipientis uitio. Ecce, inter corporalem, & iſtum ſpiritualem, comparationem factam: ſimúlque, quanta ſit ciborum iſtorum diſtantia, quantúmque diſcrimen, uide. NEOPH. Etiam hîc Rabani meminit determinatio, cuius authoritate tutam ſe, ac pulchrè munitam arbitratur. ORTHO. Quos mihi Rabanos, aut Bertramos narrat, quum eos ipſamet, tantùm quia millenarij non ſunt, prior repulerit, atque è ſcholis exploſerit. At locum Rabani ſaltē indicaſſe oportuit. Cæterùm de Betramo, quod opus fuit, iam dictum eſt. Quod autem attinet ad introductum Rabani teſtimonium (ſi uſquam, quod determinatio nobis ſignificauit, ſcripſerit) nullibi melius, aut certius eius ſententia cognoſcitur, quàm ubi ex profeſſione rem tractat. Vbi huius analogiæ rationem, ac nutritionē, quas Catholici agnoſcunt, fortiter & luculenter confirmat. Sicut (inquit) terrenus hic panis uitam ſubminiſtrat temporalem, ita ille cæleſtis (de ſacramento loquitur) uitam præſtat æternam, & cæleſtem, quia uita eſt ſempiterna. Denique, & ſanguis hic, ſecundū efficientiam ſimili modo uinum typicè poteſt uocari, quia ſicut uinum lætificat cor hominum ſobriè potatum, ita longè locupletius hoc uinum ſanguinis lætificat cor hominis interioris, & inebriat mentem amore ſpirituali. Hæc ille, quem uides eandem cum cæteris patribus pulcherrimam, & determinationi planè aduerſariam (ut ne poſſit quidem magis explicatè dici) analogiam duxiſſe. Iam uerò, quod ad

Rabanus de Euchariſt. ca. 42.

iſtam

istam communem nutricādi rationem, quām in sacramento fieri confinxit (quò panis substantiam manere conuincat) Rabanus nō agnoscit, imò tanquam alienam, & fide abhorrentem penitus reiicit. Is enim in eodē libro, qui de Eucharistia est, pro triplici cibi genere, triplicem nutritionē facit. Vnam, per cōmunem cibum: secundam ex scripturis, tertiam, quæ fit per corpus, & sanguinem Domini, quæ de altari percipimus. Longè, inquit, inferius uita nostra ista temporalis, corporeo isto communi alitur cibo & potu, lōgè uerò excelsius, ac præeminētius uita illa quæ abscōsa cū Deo, qua conformes illi, & cōfigurati sumus, illo saginatur cibo, & potu, quem ex scripturis, & de altari accipimus, & transuehit nos ad spiritualia, ut ibi uiuamus exinde, ubi uita nostra seruatur æterna: & paucis interpositis, tandem cōcludens, ait: Friuolū est ergo, in hoc mysterio, cogitare, ne commisceatur in digestione alterius cibi (hoc enim habebat liber quidam apochryphus, cuius inscitiam hoc in loco confutat, & coarguit Rabanus.) Denique ubi spiritualis esca, & potus sumitur, & spiritus sanctus per eum in homine operatur, ut si quid in nobis carnale adhuc est, transferatur in spiritum, & fiat homo spiritualis, quid commixtionis habere poterit? Hæc Rabanus. Adsis nunc, & uide, quàm prudenter facta distinctio est. Longè enim aliter, iuxta huius sententiā, nutriunt communes epulæ, & aliter uerbum Dei, & aliter cibus ille, quem de altari accipimus, ita ut hic cum illo (uti ait) nihil commixtionis habeat. Aduer- Cap. 48.

te,quod dicit,nihil habet cõmixtionis. Si enim quod de altari accipimus,nihil aliud est, quã corpus Christi,& sanguis eius,(ut ex eodem liquet)&, si non cõmiscetur in digestione cum cibo communi, (quod item affirmat) euidenter consequitur iam hoc alterius naturæ,alterius substantiæ, atque longè secus (ut dixi)quàm cibus corporalis, fideles nutrire.Quin uel audienti palam erit, ita manifestè, ita efficaciter Catholicam sacramenti ueritatem multis, magnísque argumentis eum astruxisse,ut uix quicquam uel clarius,uel efficacius dici,à quoquam inueniatur. Sed quid ego locos tibi citando connumerem? Totus in hoc est adeò, ut (præterquàm quòd non semel affirmat ex substantia panis & uini fieri corpus,& sanguinem Domini) plus decies in tam paruo libello, nihil aliud nisi uerissimam Christi carnem, quæ ex uirgine nata est,quæ crucifixa,quæ sepulta est, & resurrexit,nihil aliud,nisi ipsum sanguinem eius nos hîc sumere planissimè inculcat, credendúmque asseuerat. Quam ueritatem(præter ea, quæ à nobis superius dicta sunt)D. Remigius ad unguem sic exprimit. Vota (inquit) mea,id est, meipsum reddam, sicut cum patre ante secula præordinaui:& hoc faciam,in conspectu timentium eum, id est, ut timentes eum intelligãt, quid sint illa uota,& propter quid sint uota, non propter diuersitatem, sed propter loca, & personas. Quid sint intelligent. S. Dominicum corpus, non solùm commemorationem esse, ut quidam hæretici uoluerunt,cum tamen Dominus apertè dixisset,hoc

Remigius in psal.21.

est

eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur: & hic eſt ſanguis meus, qui pro uobis fundetur. & ſic ſententiæ, quæ ſequitur, nulla dubitatio relinquitur. Panis autē & uinū à Chriſtiana ueritate dicuntur, nō quòd naturam panis, & uini poſt conſecrationem in ſe retineant, niſi quātum ad ſpeciem, & ſaporem, & odorem. Illi nāque qui carnem in utero Virginis aſſumptam uerbo ſuo perſonaliter unire potuit, panis & uini materiam in ſui corporis, & ſanguinis naturam transferre poſſibile eſt. Audis, qui commemorationem duntaxat hîc eſſe affirmant, à membrorum Chriſti compage, hoc eſt, ab Eccleſiæ communione, ſeiunctos, alienos, adeóq; ſuo nomine, hæreticos appellari: Audis panis, & uinum à conſecratione denominari quidem, ſed non eſſe: Audis naturam panis, & uini, niſi quantum ad accidentia, & externam formā non retineri. quo Gelaſium cum cæteris euidentiſſimè explicuit. Denique audis eorundem panis & uini, non in cuiuſuis rei, ſed in corporis & ſanguinis ipſius Chriſti materiā transferri. Quid? eſt'ne adhuc panis ex multis granis, aut multis acinis confectum uinum? non eſt ſanè. Sed nolo in re manifeſta pluribus, aut non neceſſariis teſtibus uti. Eat nunc determinator, & fingat ſanctiſſimum Chriſti martyrem, Rabanū, & reliquos patres, à ſe ſtare. Iactet ſuis (quātum libuerit) hanc ſuam analogiam: ſuam dixi, utpotè, quam non patres, ſed ipſi, ut uides, ad euertendam ueritatem excogitauerunt. Quòd ſi dulcedinem, & accidentia quæ manent, nutrire dixerimus, non Euā-

gelica,ſed philoſophica ſchola repugnat, quæ in fide cæca eſt,& proinde meritò repudianda. Neque magis mirum hoc eſſe debet (quòd uidelicet ſolo ſacramento,uel corporis uirtute,quod ipſe Dominus tribuit, poſſet quiſpiam aliquandiu ſuſtentari) quàm quod Helias ex eo cibo, quem angelus miniſtrauit, tanto temporis ſpatio potuit ualere. Aut quis ſimiliter diffidit hiſtoriæ,quæ de nutrimento narrat, quod fuit in Abrahæ tabernaculo per angelos comeſtum? Atqui, ut illud, alio conſumptum eſt modo, quem is demum nouit,qui conſumpſit,ita & hoc ſanctiſſimi corporis, & ſanguinis Domini Ieſu alimentum, alio nutrit modo, quem & nouit, & operatur is, qui ſolus talis nutrimenti autor exiſtit. Fide retinemus Dominum uerè manducaſſe poſt reſurrectionem. Neque eſt aliquis,qui curioſius inquirat de illius cibi conuerſione,unitate, nutritione,aut conſumptione. Hanc ſimplicitatem, & hîc haberi optabile eſt, imò oportuit.Sed de iſta re ſatis.Quarto in loco, Eutichetis error nobis affingitur. Veritatem humanæ naturæ ſuſtulit Abbas Eutiches,nos, quia ueritatem corporis in ſacramento ſtatuimus,quod eſt diuinæ naturæ peculiare ac proprium,humanæ idcirco adſcribimus? Quin Matthæum coarguant,qui ſcripſit Dominum mole corporis mare ingreſſum? Negent corpus illud clauſis ianuis intrauiſſe ad diſcipulos, quod Ioannes affirmat, cui tamen natura humana etiam tum cõiuncta eſt.Sed hoc aliàs. Hæc cum apud Euãgeliſtas habeantur,quo modo nos,qui ex uerbo Domini

Quartum firmamentum euertitur.

mini corpus uerè adesse dicimus, ut Euticheani, producimur? Quomodo non illi potius eiusmodi erroris rei existant, qui quod de uera corporis natura Dominus edixit, non uero, sed cerdonico modo intelligant? Sed in his tempus amplius conterere superuacaneum existimo. Nunc igitur ad summum res tãdem rediit, nempe ad quintum firmamentũ, in quo, ueluti in triariis (ut aiunt) militibus, spem totam collocauit. De firmissimis enim (si qua falsa in re, firma esse possint) quo citius persuadeat, alia prima ponit, alia postrema, ut sæpè iam monui. Quocirca si ne hîc quidem quicquam obtineat, iam nihil reliquum est, unde subsidiũ sperare ei liceat. Summa hæc est. Ascẽdit ad cælos, quamobrem nequit in terris adesse. Atq; prius, ad hoc, quàm dicimus, operæpretium est uidere, quàm nihil faciunt ad rem, quæ hîc introduxit.

Quintum firmamentum euellitur.

1 Primùm igitur antiquorum testimonia, quibus cau-
2 sam suam confirmare nititur, pensitanda sunt: deinde ad articulum fidei, quæ conueniunt, breuiter dicemus. Citatur Augustinus in hæc uerba, Donec seculum finiatur, sursum est Dominus, sed etiam hic est ueritas Domini: corpus autem Domini in quo resurrexit, in uno loco esse oportet, ueritas eius ubiq; diffusa est. Quod testimonium, quo magis causæ subseruiret, cum Oecolãpadio sic ponere maluit, qui tamen alteram, & uerioré quidẽ lectionem, haud ignorare potuit. NEO. Ne graueris quæso, Augustinum, suæ sententiæ, & uerbis, si quid discrepant, restituere. ORTH. Sic ille in Ioannem. Nos sic audiamus Euangelium, quasi præsentem Dominum, nec dicamus, ô

Aug. in Ioan. tract. 30.

illi fœlices,qui eum uidere potuerunt, quia multi in eis,qui uiderunt, & occiderunt, multi autem in nobis, qui non uiderunt, & crediderunt. Quod enim preciosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est,& nobis seruatum est, & propter nos recitatur,& propter posteros recitabitur,& donec seculum finiatur. Sursum est Dominus,sed etiam hic est ueritas Domini: corpus enim Domini in quo resurrexit in uno loco esse potest, ueritas eius ubiq; diffusa est.Dominum ergo audiamus,& quod ipse donauerit ex uerbis,& nos dicamus. Sic ingreditur concionẽ suam Augustinus. Quæ eius uerba(ut interim taceã, quòd sensum, malè facta periodo deprauat) ne gry quidem habent, quod nostræ sententiæ aduersetur, imò multum confirmant:Corpus,inquit,Domini,in quo resurrexit,in uno loco esse potest. Vides eum de forma resurgentis corporis uerba facere. Et illud nũc alterius esse conditionis,à nostris euidenter ostendit. Nostra enim corpora nõ possũt suapte natura, uno in loco,nõ includi,ut hoc loco, Oecolãpadiano, oportet,fortè locus sit.Hoc si Dominus, imò quia Dominus,peculiariter impolluto,ac uenerãdo corpori suo largiri dignatur(ut suprà cum patre sedeat,& hic nobiscũ inuisibiliter adsit)quis audebit reprehẽdere. Sed hanc litẽ Augustinus ipse (ut iã prædixi) dirẽmit,addẽs,in quo resurrexit.Siquidẽ in ea forma sursum est, ad dexteram patris. At ueritas eius,nempe Euangelij, quod de ore eius preciosum sonabat, ꝙ propter nos scriptum est,& nobis seruatũ,ubique (ut ait) diffun-

ditur,

ditur, & in omnem terram exiuit. Rurſus producitur in medium idem Auguſtinus, ſed truncato capite. Nam bifariam exponens ſententiam Chriſti, qua dixit, Pauperes ſemper habebitis uobiſcũ, me autem nõ ſemper habebitis, alteram partẽ, quæ uiſa eſt cauſam probare, ad ſe rapit, relicta altera, quæ ſententiam noſtram magis corroborat. Vtranque bona fide percurram. Quid eſt, inquit, nõ ſemper, & quid eſt ſemper? Si bonus es, ſi ad corpus Chriſti pertines, habes Chriſtũ, & in præſenti, & in futuro. In pręſenti, per fidem, in præſenti, per ſignum Chriſti, in præſenti, per baptiſmatis ſacramentum, in præſenti, per altaris cibum & potum: habes Chriſtum in præſenti, ſed habebis ſemper, quia cum hinc exieris, ad illum uenies. hactenus ille. Ex quo uides, quàm uariè præſens in Eccleſia Chriſtus eſt. Niſi enim aliter adeſſet in ſigno, quàm per fidem, niſi præſentius (ut ita loquar) & efficacius nobis appropinquaret, in cibo altaris, quã in baptiſmate, fruſtra hanc ſcalã contexuit, fruſtra iſtos præſentiæ modos tam accuratè diſtinxit. Parum erat illi adeſſe, in ſigno, in fide, in baptiſmo, niſi etiam in cibo altaris: parum erat per fidem, & ſpiritum ſuum ſemper adeſſe ſponſæ, ſed parauit illi menſam, de qua ſcriptum eſt, Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. Menſam dico, uictorialem, in qua ſuum ipſius corpus miniſtrat fideli in cibum uiuificum: appoſuit poculum ſanguinis, unde biberet quoties uellet: ut hac inaudita ratione corporaliter etiam (quod quidam dixit) in ſacramentis ui-

Eraſm. in Pſal. 22.

ſibilibus adeſſet ouibus ſuis. Poteſt, inquit, & ſic exponi, Pauperes ſemper habebitis uobiſcũ, me autem non ſemper habebitis. Accipiant & hoc boni, & non ſint ſolliciti: loquebatur enim de præſentia corporis, nam ſecundum maieſtatem ſuam, ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem, & inuiſibilem gratiam impletur ab eo quod dictum eſt: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Secundum carnem uerò, quam uerbum aſſumpſit, ſecundum id quod de uirgine natus eſt, ſecundum id quod à Iudæis comprehenſus eſt, quod ligno confixus eſt, quod de cruce depoſitus eſt, quod linteo inuolutus, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me uobiſcũ. Quare? quoniam conuerſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis: & eis deducentibus uidendo, non ſequendo, aſcendit in cælum, & nõ eſt hîc. ibi enim ſedet ad dexteram patris: & hîc eſt, non enim receſſit præſentia maieſtatis. Audiſti iam Auguſtinum. In quo diligẽter animaduerte uoculam (ſecũdum) quam toties inculcat, qua ſimiliter uſus eſt ad Dardanũ. Notat enim formam illam uiſibilem, & corporis proceritatem, ſecundum quam conuerſabatur in mundo: id quod tenor orationis, imò ipſius uerba planiſſimè indicant. Et ipſe alibi contra Arrianum quẽdam diſſerens, & quaſi exponẽs, idem manifeſtius declarat. Scimus, inquit, dictum eſſe, patrem filio maiorem, quia in forma ſerui

Lib 2. contr. Max. ca. 19.

erat

erat filius,quam leuauit in cælũ. Item Christus, manente inuisibili Dei forma, accepit uisibilem hominis formam,in ea natus est,in ea creuit, manducauit & bibit,& dormiuit in ea,& occisus est in ea,& resurrexit in ea,& ascendit in cælum,& sedet ad dexteram patris in ea, & ad iudicandos uiuos & mortuos est uenturus in ea,& in regno suo, ei, qui illi subiecit omnia,erit subiectus in ea.Hactenus ille. ubi audis repetitam formam,hæc, hæc ipsa est forma, quam per uoculam,secundum,innuit. Secundum hanc enim carnis præsentiam & formam, qua eleemosynas tribuere pij solét, quaque pauperibus posset benefacere (quod alius Euangelista non tacuit)rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis: me, inquam, esurientem, ac sitientem, me inopem non semper habebitis.Habuit enim Ecclesia sic eum paucis diebus,modò fide tenet,oculis non uidet. Nostro commodo factum est,ut serui forma, colloquiũ humanum, quotidianúsq; conuictus, quibus Apostolis familiarem sese exhibuit, auferretur, perpetuò tamen suæ Ecclesiæ adest, idque per Eucharistiam maximè,in qua pascit nos (quod nullæ matres unquam fecerũt,nec possunt)proprio corpore & precioso sanguine suo: illi gratia in sempiternũ. amen. Cæterùm ne incusent nos torquere Augustinũ: audi paulisper illum ipsum adhuc expressius, sic loquentem: Quid ergo est,ad patrem uado,& iam nõ uidebitis me, nisi quomodo sum,cũ uobiscũ sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui &

Nota formã leuatam.

Aug. in Ioã. tract. 95. 50. & 94. Item Theoph. in Lu. cap. 24.

esurire poterat, & sitire, fatigari, & dormire. Hunc ergo Christum, id est, talem Christum, cum trāsisset de hoc mundo ad patrem, non erāt iam uisuri. hæc ille. Nota quòd dicit, talem Christum, quippe, iam in ea forma & corporis ueritate ascendit, eundem tamen, sed non talem, nobis in sacra mēsa apposuit, sicut ipse euidenter dixit, & omnes quotquot eius uerbum uerè audiunt, constanter credunt. Pari modo & Theodoretus sanctum Amphilochiū Episcopum Iconij, de corpore Christi loquentem introducit. Per hoc, inquit, quòd clauorum fissuras ostēdit, tradit non esse idem: per illud autem, quòd clausis portis ingreditur, ostendit non esse tale. Ecce quàm amicè conspirant. & quid ni etiam, ut Deum patrem & spiritū sanctum eandem substantiam habere dicimus, sed substantiæ modum à creatura dissimilem, ita corpus Christi in cælo atq; in sacramento substantia idem, modo autem & ratione diuersam confiteamur? Ista fusius dicere uolui, quò melius intelligas. Restat adhuc locus ille, quem ex Epistola Augustini ad Dardanum decerpunt. Noli (inquit) dubitare ibi nunc esse hominē Christū Iesum unde uenturus est, memoriter recole, & fideliter tene Christianorū confessionē, quoniā resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris, non aliunde, quā inde uēturus est &c. Cuius postremi uerbi occasionem arripiens determinatio, egregiè ineptit, aut potius falsè, imò impiè iocatur. inde (inquit) uenturus est, non ex altaribus. Deus non imputet illi: & hanc Christiani hominis,

Theodoretus in dialog. 2.

Epist. 57.

cum

cum Augustino confessionem ultro amplectimur, & illam, qua ueritas corporis Christi in Eucharistia asseritur, iuxta exosculamur. sed illinc, in forma humana uenit, ut iudicet mundum, hîc in forma panis existit, ut saluetur mundus per ipsum: id quod apud Augustinũ sequi, nisi cæci, uident omnes. Sed uenio ad locum quem illa magis urgebat: is sic habet, Spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt. In tota illa Epistola, ne tantillum quidem de corpore Christi, quatenus est in sacramento. neque hoc agit, an idẽ corpus possit esse uariis in locis, sed num, sicut Christus Deus ubique est, ita Christus homo ubique similiter censendus sit. & manifestã quidem facit, inter Deum, & corpora naturalia, quæ continentur loco, dissimilitudinem: inter uerbũ, & humanitatem, quæ etsi in Deo est, non est consequẽs tamen, uti ait, ut ita sit ubique, ut Deus. Atque hîc locutiones quasdam peculiares, quæ specie uidentur non consistere, naturarum consideratione, ueras esse ostendit, quas nunc ingerere longum, ac penè intempestiuum foret. Deinde in hanc, quæ in manibus est, sententiã descendit, docétque Deum existere ubique in seipso, ubique, scilicet, quia nusquã est absens: in seipso autem, quia non continetur ab eis, quibus est præsens: tanquam sine eis esse non possit: quibus continuò subnectit, Nam spacia locorũ tolle corporibus, nusquam erunt. Hîc quis non uidet eum loqui, non nisi de huiusmodi corporibus, quæ hoc ipso sunt, quod loco insunt? ac si diceret: Deus quidem uerè existit,

ſed longè alio modo quàm corpora noſtra. ea enim uerè exiſtunt quoque, ſed non niſi in loco, à quo etiã continentur. Deus autẽ ubique eſt, neque ab aliquo continetur, quia immenſus. Quod ipſum magis ſequenti oratione explicuit: tolle, inquit, ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi ſint. Ecce, ei, hoc in loco, corpora non ſunt, niſi qualitatibus contemperentur. Cæterùm de corpore Chriſti, non dicimus quid ſit calidum, uel frigidum, humidum, aut ſiccum, neque tamen ob id, corpus non eſt, ſicut nec corpora humana facta iam immortalia, & glorificata, quæ nihilominus corpora eſſe non deſinunt, nec ſuam naturam, & ſubſtantiam proinde amittunt. Neque dicimus corpus Chriſti ubique eſſe, aut eſſe in ſacramento, tanquam incluſum loco, hoc eſt, ita eſſe in ſacramento, ut nuſquam alibi ſit: & palam loquitur Auguſtinus de Chriſto in humana forma. Verũ quidem eſt, & nos cum eo fatemur, quòd humanitas Chriſti in cælo exiſtit in ea forma, quam aſſumpſit, ſed neque ſuapte natura aliò eſſe poteſt: id quod hîc attigiſſe uidetur. At neque illic (ut iam dixi) de ſacramento uerbum, neque alibi contra hanc, quam ſæpè dico, corporis in ſacramento ueritatem, quicquam aſſeruit. Diſſerunt autem de Chriſto, quomodo iam aſcendit in cælum, quem ait inde uenturum in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit: ſecundum hanc, inquit, formam non eſt putandus ubique diffuſus. Quid? num quia Chriſti cor-

poris

poris in Eucharistia præsentiam ponimus, idcircó ne idem ubique diffusum fatemur? cæterũ, quòd
1. corpora nostra loco contineantur, quòd sine quali-
2. tatibus non existant, quòd uariis in locis simul es-
3. se nequeant, quid hæc, uel corpori Christi, uel deitati præiudicant? cuius opus esse credimus, ut sit præsens in sacramento? neque hoc Christianis auribus tam absurdũ uideri debet, præsertim quũ tam illustre, támque præclarũ exemplum in scripturis habeamus, de eodẽ corpore Christi, per ostia clausa ad discipulos ingrediente, quod eo ipso tẽpore, quo est ingressus, nullo loco cõcludebatur, uera tamẽ & minimè imaginaria illa ingressio fuit, simúlq; uerũ corpus eo momento habuit id quod eiusdem ostẽsione manifestè demõstrauit. Qui cælestia humano ingenio metitur, is in mille præcipitia ruat, necesse est. Iudęi clamãt à seculis talia inaudita, neque tamẽ minus uera erant ea miracula. Quod itaque fieri nullo modo potuit, hoc omnipotenti Deo difficile non fuit, apud quem non est impossibile omne uerbũ. NEO. Nisi fallor, nonnihil ex Vigilio, & Fulgentio huc cõgestum est. ORTH. Ad utrũque illud semel, atque in summa (ut non diutius, ubi minimè opus est, te detineam) ne gry quidem apud eos esse, quod corporis ueritatem è sacramento auferat, cum id ne per somnium cogitarunt. Toti in hoc sunt, ut disiunctas ac diuersas Christi naturas contra Eutycheten demonstrent, utque Christum uerum corpus habuisse, atq; etiamnum habere, uerè in cælum ascẽdisse, ueréque ibi, ut in loco esse ostendant. Quis autem ignorat ia-

ctatam in scholis propositionem, Totus Christus est ubique, sed non totum. Sed quid? Hæccine iusta ratio est? quia naturam carnis, cum uerbi proprietate confundit Eutiches, ac propterea iure damnatur, idcircó ne, quia Christum corpore in Eucharistiæ sacramento præsentem Orthodoxi statuunt, eodem impietatis & sacrilegij crimine tenebuntur? Hoc, inquit, Transsubstantiarij (quo nomine Catholicos perstrinxisse se putat) faciunt, dum corpus ponunt non esse in loco, quod est proprium diuinitatis, non carnis. Si quod dicit non esse in loco, sit diuinitati propriũ ac peculiare, quomodo hoc ipsum angelo, seu animæ conueniat, quæ utique loco non circũscribũtur? At corpora nõ sunt, inquis. Dic mihi, qui terrena cælestib⁹ misces, atq; ad naturæ cõsiderationẽ trahis omnia, nũquid suprema cæli sphæra corpus est? & quidẽ maximum, si Philosopho credimus, ꝙ tamen loco minimè cingitur. Rursus audio, corpus est, sed spirituale, & nos item corpus in Eucharistia spirituale profitemur. Age uerò, hoc te scandalizat, ꝙ per inuia (ut Ambrosij uerbis dicam) septa corporibus, inoffensa compage, corpus, seu natura corporea per impenetrabile corpus (utriusq; in sua proprietate, seruata substantia) se infuderit? non opinor. Ergo & hîc similiter, quæ supra rationẽ sunt, inuestigare amplius, sine ratione, desine. atqui hoc iam aliâs sæpè. Porrò quæ cõtra Eutichen, à patribus de locali Christi pręsentia catholicè disserũtur, libenter agnoscimus, nihilominus tamẽ, eiusdẽ corporis substantiam,

Ambrosius.

ſtantiam, haud localiter, uerè tamen, in ſacramento adeſſe, ſicut ipſe dixit, confitemur: dixit enim, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. Et profectò, qui aliter iſta uerba (tropicè, nimirum, & non ſecundum literam interpretari uolunt) ualdè ſimiles iis mihi uidentur eſſe, qui olim paradiſum terreſtrem penitus negabant. Hi enim, ut Auguſtinus refert, quo ſuum errorem ſtabilirent, rem ipſam auferrēt, figuram ſufficerent, omnem eum ſermonem, qui in Geneſi ſcriptus eſt, ad ortum illum concluſum, de quo Salomō, referebant, & quæ de paradiſo ſcriptura habet, non ſicut ſcripta ſunt craſsè, ſed alia ſpirituali quadam ratione intelligebāt: haud diſſimiliter & noſtrates (ſpituales ſcilicet homines) nunc faciunt, quò ueritatem corporis è ſacramento nobis tollant, nunquam non crepant, certam articuli fidei perſuaſionem, qua fideles credimus Dominum ad cælos aſcendiſſe, ſederéq; ad dexteram patris. Rurſus, Hoc corpus aſcendit in cælum, utique integrum, ut ait Auguſtinus. Quo quidem unico ſupplemento, omnes rationes noſtras perturbaſſe, atq; penitus uiciſſe putat determinatio. At contrà nos, obiecto pectore, hoc ipſum adſumimus, & eodem fidei articulo, ad rei, quam tuemur, cū explicationem, tum confirmationem imprimis utimur, Chriſtum ſequentes, qui perturbatos (ex uerbo, quod de carnis ſuæ comeſtione dixerat) diſcipulos ita alloquitur: Hoc uos ſcandalizat? quid ſi uideritis filium hominis aſcendentē, &c. An non eſt hoc etiā magis præter naturam? quòd ſi rurſus hîc mihi meiſ-

Augu. de geneſ. ad literā. Itē Chryſoſt. homil. 13. in geneſ.

que uerbis ſimiliter diffiditis, uel ipſi, oculis ueſtris credite: ipſi, inquam, uidebitis hoc corpus (quod ſuapte natura deorſum fertur) aſcendere: uidebitis, præter naturam, in aera uolare. Quid igitur, num caro mea uiuifica ſit, dubiis animis pendetis? an quæ promitto, carnem & ſanguinem, uobis præſtare haud queam? atque ita (Cyrillo interprete) alia eos re mirabili, ad fidem impellit, & ex uiſibili ſua aſcenſione inuiſibilem (neque minus ueram tamen) ſuæ carnis comeſtionem demõſtrauit. Adde quòd iſti nimis pueriliter in uerbo (ſedet) ſuos ludunt, imò impiè ſeipſos illudunt potius: aut, quod magis de quibuſdam credo, uolentes ignorant, ſedere ad dexteram patris, eſſe æqualem patri. Nihil igitur non poteſt filius cum patre. Verborum umbris territare nos cupit, cum in re nihil ſit periculi: ita ipſa, iiſdem armis, quibus uictoriam ſperauit, uicta iacet quàm planiſſimè. At enim aſſurgens determinatio inquit, Aſcenſionis commemoratione uoluit eos auellere à carnali manducatione. quid tum poſtea? quaſi caro ſic, ut ſæpè iam dictũ
1 eſt, exhibita ſpiritui officiat. Non enim nos magis mouere debet, quòd aſcendit, quódq; ſit etiam æquè in ſacramento, quàm quòd clauſis foribus ſubitò eũ apparuiſſe diſcipulis ſcriptum eſt, ut propterea negemus illud fuiſſe corpus humanum, quia contra naturam huius corporis, uidemus illud per clauſa oſtia
2 intrare. Et ſi Danieli intra lacum Leonum incluſo, clauſtris nõ apertis (ut Origenes ait) ab homine propheta allatum eſt prandium, quid de ipſius Domini

Orig. homil. 1. in d. uerſos.

corpore,

corpore,quod se nobis præbere affirmat,amplius hæ-
3 sitemus?Si ei ex utero, cum uirginis claustra obsiste-
4 rent, integris uirginalibus egredi: si ante passionem
(quod credimus)contra solidi corporis naturam, super aquarum planiciem non solùm eodem incedere, sed & alteri, nempe Petro, id præstare non fuit difficile:si adhuc mortalis,mediis turbis constitutus, uo-
5 lentibus eum præcipitare, inuisibiliter corpore pertransire: (quanquam hoc caligantibus turbæ oculis
6 quis forsitan rectius putet ascribendum)si supra splẽ-
7 dorem Solis illud clarificare: si grandi illo lapide ab ostio monumenti (in quo uerum corpus iacuit) nõ reuoluto, seruatísque sepulchri signaculis integris, resurgere:si denique(ut prædixi)illud ipsum post passionem,factum iam immortale, ad tantam subtilitatem(substantia eadem permanẽte) ut per clausa ostia possit intrare,temporis momento, redigere potuit: si inquam,hæc in uero corpore fecit, sicut Euangelistæ testantur, & nos credimus, quid deinceps eundem Dominum,suum corpus in sacramento nobis porri-
1 gentem amplius miramur? præsertim cùm tam hoc, quàm illa,æquè de uno eodémque corpore affirmen-
2 tur,æquè uno eodémq; Dei uerbo innitantur, sintq;
3 contra ueri corporis naturam, & rationem æquè omnia.Hæc cùm ita sint,tu quis es,qui modũ eius corpori præscribas? non hîc dico, quàm putidè contra Augustini,& Catholicorum omnium sententiã, hoc miraculum (ut cætera taceam) de Domino clausis ianuis intrante exponunt, uerius expugnant: atque

Vide Euthy. in Matth. ca. 28. Aug. ser. de tempor. 156. 161. Item Theophyl. in Mat. cap. 28. August. de Agone Christiano, ca. 24.

operæprecium fuerit, etiam hoc in loco diligenter animaduertere, qua astutia ad euertendam undique corporis Christi ueritatem, serpens ille lubricus & flexuosus semper usus est. Nam, ut olim, quò significaret, non esse Christo uerum corpus, sed phantasma, seu spirituale quoddam, & aereum: aut habuisse quidem ante resurrectionem ueram carnem, at eam resurgẽdo deposuisse, spiritúque in cælum abiisse nõ corpore: istiusmodi è sacris literis testimonia (ex quibus est & illud, quod repentè euanuisse legitur, umbrę, & spectris, absit impietas uerbo, similior) producere, & obnoxius urgere solebat: ita & nunc, quò uerum corpus Christi, omninò non esse in sacramẽto persuadeat, locos quosdã, & maximè de ascensione, acriter obiectat, nimirum, quòd in sui memoriã hoc fieri præceperit, quòd mundum reliquerit, quòd monuerit, ne crederemus, si dicerent, ecce hic, ecce illic est: quòd dixerit, Me non semper habebitis: breuiter, quòd iuerit in cælum, sedétque ad dexterã patris. Verum enimuero, ut Orthodoxi patres, omnésque adeò fideles, tunc aduersus hæreticos, quod fides de uero, & minimè fucato corpore habebat, fortiter cõfessi sunt, una & illud, immobiliter credentes, quòd scilicet contra ueri corporis naturam ianuis clausis corpore intrauit, quòd aquas eodem calcarit, quòd euanuerit, quòd humanis conspectibus idem, quoties uellet, subtraxerit, ita & nos quotquot fideles sumus, eorum uestigiis insistentes, (prædictis non obstantibus) ueritatem corporis, iuxta uerbum Christi,

utrinq;

utrinq; cōſtāter prædicamus,& quòd reuera corpore aſcēdit,& q; idē corp⁹ in ueritate,cōtra ueri corporis naturā,ſub ſacramento nobis cōmunicat.Cæterū,qui hîc literę(propter ſermonis & fidei,ut aiunt,diſſonātiā)tantopere inhęrēt,ut negent Chriſti corpus ſimul in terris, & in cælo: dicant nobis quomodo ſimul
1 Iſaac uiuat, & occidatur,liberos gignat,& moriatur? Hoc enim ſcriptura palam indicat, aſſerens in Iſaac futurum Abrahamo ſemen, quem tamen mactari iuſſit Deus,& offerri in holocauſtum. Alterum enim iſtorum impoſſibile quis neget? ut ſi in Iſaac futurū ſit ei ſemen, utique non occidendus abſque liberis. Nec obſtat, quòd uetuit Deus, ne occideretur Iſaac. Huius enim conſcius non fuit pater, qui iam gladiū diſtrinxerat,iam manum extenderat,iam, iam membra unigeniti ſui diſpertiturus erat, nihilominus tamen uerè promiſit Deus in eo futurum ei ſemen: & tam uerè percipit,ut eum,in quo tota ſpes fuit illi poſteritatis, offerret in holocauſtum. Vbi Abraham rationem ſequutus, ſic cogitare ſecum probabiliter poterat, ſi ex Deo eſt promiſſio de ſemine filij mei Iſaac,certè ex diabolo eſt,ut occidam,& quidem cōtra naturam. Habes præterea expreſſum mandatum,
2 Nō occides: attamen non ſolùm Abraham, ſi animū ſpectemus,filium ſuum,ſed & Samſon ſeipſum ualēs,
3 acuolens cum inimicis (quibus benefacere Deus
4 mandauit) occidit. Occiditur& à Dauide Goliath. Quod certè iſtorum factum,tantum abeſt, ut ſit illis uituperio, ut etiam in ſummam illorum laudem ce-

dat. Item, Deum iustum scriptura nobis ubique de- 5
Sapient. 12. pingit. At eundem condemnare hominem, qui puniri non debet, commemorat. Rursus, sic Dei misericordiam prædicat, ut nullum tam atrox facinus, nihil tam impium à quouis possit perpetrari, quod continuò per Christum non deleatur: & tamen peccanti in Spiritum sanctũ penitus negatur uenia. Quid quòd
Exech. 20. Deus quum sit ipsa bonitas, præcepta non bona ipse
Esaiæ. 1. Hiere. 7. dederit? Et idẽ aliàs negat se præcepisse sacrificia, quæ 6
tamen ipse alibi præceperat: similiter etiam in nouo 7
testamento apud D. Marcum legimus, Dominum resurrexisse mane prima sabbati, quum Matthæus referat eum resurrexisse uespera sabbati, pugnant autẽ inter sese uespere & mane. Denique sciscitante Herode (ut idem Matthæus refert) ubi Christus nasceretur: 8
responsum est, in Bethleem Iudæ: sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet
Mich. cap. 5. dux, &c. Quum tamen Micheas, iuxta Septuaginta translationem (quæ ad faciendam fidẽ, modò Chry-
Chrysost. homil. 5. in Matth. & Euse. in Eccl. hist. li. 6. ca. 23. sostomo fidem habeamus, cæteris omnibus anteponenda est) omissa penitus negatione, planè minimã asseruit: nempe, in contrarium (ut apparet) sensum sic extulit, Et tu domus Ephrata minima es, ut sis in millibus Iuda. Neque causalem (quò sensus noster magis pateat) ab Euangelista positam, usquam à propheta scriptam inuenies. Huius generis extant plurima, quæ non minorem differentiam, imò contrarietatẽ, habere uideantur. Quid igitur? Deum mutari ut ho-

minem

minẽ putabimus, qui tam pugnãtia dicit, & mandat? aut ideo in his uel neganda, uel explodenda historiæ ueritas, quò scilicet scriptura sibi cõstet? an fatendum potius (quod res est) uera esse hæc, uera omnia quæ dicit, quæque promittit, & præcipit Deus, etiamsi rationem, qua fiant, humana ratio nequeat apprehendere, cõmodáque interpretatio quærẽda, nullo modo historiæ ueritas neganda. Verum quidem est, quod Augustinus de quibusdam ait, qui ideò non credebant, Dominum corpus assumpsisse ex uirgine, quia istius miraculi rationem reddere nequibant: quod & nos huic ueritati haud dissimiliter reluctantibus (quod scilicet suo ingenio comprehendere nequeãt, quomodo idem, tam in cælo, quàm in sacramento simul existat) meritò dicim⁹: Stulti, inquit, homines, & miseri, quod ipsi facere non possunt, aut in uita sua nunquam uiderunt, etiam omnipotenti Deo fieri posse non credunt. A quibus, quamlongissimè abest pius ille Chrysostomus: is enim in insigni illo opere, quod de sacerdotio inscripsit, hanc rem ex professo tractans, ad tam immensum Dei opus ita inclamat: O miraculum, ô Dei benignitatem? qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, (nempe post uerba Christi operatoria) omniũ manibus pertractatur, ac ipse se tradit uolentibus ipsum excipere ac complecti: fit autem id nullis præstigiis, sed apertis, ac circunspicientibus circunstantium omnium oculis. Hæc ille, lingua, imò mente aurea, ac planè diuina, non solummodò dicere, sed summa cum ad-

Augustinus.

Chrysost. lib. 3. de sacerdotio.

miratione contra miſeros intonare uidetur: O miraculum, ô Dei benignitatem? acclamat ille, ſed non audiunt: uerberat, non ſentiunt: pungit undique, iacent tamen. Verè graui ſomno premuntur, qui tam ingenti ac ualido clamore non excitantur. Miſeret me iſtius mortiferæ quietis. NEOPH. Sed quid tantopere exclamat, aut quodnam tandem eſt hoc miraculum? quæ tanta benignitas? ORTHO. Imprimis exclamationes iſtæ magnum quippiam, & ingens haud dubiè portendunt, atque ad grande aliquid, magníq; momenti, audientium animos excitant. Verùm ipſe tibi reſpondeat: Qui, inquit, cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo tẽporis articulo (ecce miraculum) omniũ manibus pertractatur: expreſſius nemo loquitur, ac ne poteſt quidem. Chriſtus Ieſus qui aſcendit, (aſcendit autem corpore, qui nunquam illinc aberat deitate) ille, inquam, qui aſcendit, qui ſurſum nunc ſedet cum patre, non quouis tempore, ſed illo ipſo temporis articulo (nempe conſecrationis, quando hoc in ſui commemorationem fieri præcepit) manibus pertractatur: manibus dixit, non mentibus. Hoc enim ſæpius quouis in loco, & tempore, illud dũtaxat in myſteriorum celebratione agitur: tunc enim per ſacroſanctas (ut Chryſoſtomi uerbo dicam) manus, quæ ſacris altaribus inferuntur, manus inquam ſacerdotũ, ille ipſe qui aſcendit, qui ſurſum cum patre ſedet, tenetur, offertur, ſumitur, diſpẽſatur. Vnde tãti beneficij magnitudinem intra ſe contemplatus Chryſoſtomus, meritò (ut dixi) exclamat, utpote, contra corpo

Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio. Vide Ambroſ. lib. 6. examer.

ris

ris naturam fieri hoc:exclamat,inquam,O miraculũ, ô Dei benignitatem ? quæ ita ſuos diligit,ut ſic, hoc eſt,nõ modo ſpiritualiter,ſed & corporaliter eis adeſſe,& nutrire dignetur. Quis tãti muneris author?ipſe,inquit, ſe tradit.En quanta eſt hæc Dei benignitas? Se,dixit:nam qui ſanctificat, & tranſmutat, ipſe eſt, non homo. Neque hîc ſiſtit,ſed adhuc,uelut interroganti reſpondens, ait: Fit hoc nullis præſtigiis: quaſi diceret,non deluſione aliqua (quod præſtigiatorum mos eſt)non dolo,non fallacia,ſed re ipſa,qui ſurſum cum patre ſedet, manibus pertractatur, & ore ſumitur.Cuius rei circunſtãtes Chriſtiani,ueritatem edocti,inſpectores,& teſtes exiſtunt. Et ne exiſtimes hoc illi excidiſſe,paſſim ferè ita loquitur. Cum mors(inquit) accepiſſet corpus Chriſti, quia continere non poterat, rurſus euomit, & radios non ad hoc uſque cælum,ſed ad ipſum ſupernum thronum dimiſit: illuc nãque ipſum extulit, quod etiam nobis exhibuit (auſculta quod dicit, quod etiã nobis exhibuit) & ut teneremus, & ut mãducaremus, quod maximũ dilectionis ſignũ eſt.Quos enim amam⁹, nõnũquã morſu etiã petimus.Hęc Chryſoſt.Rurſus in eadẽ homilia,Quod ſummo(inquit) honore dignum eſt, id in terra oſtendam. Nam quemadmodum in Regiis, nõ parietes, non tectum aureum, ſed regium corpus in throno ſedens, omnium præſtantiſſimũ eſt:ita quoque in cælis regium corpus,quod nunc in terra uidẽdum tibi proponitur.Neque Angelos neque Archãgelos,non cælos cælorum, ſed ipſum horũ omnium

Chryſoſt. in 1.Cor.ca.10. homil. 24.

tibi Dominum oſtendo. Animaduertis, quonam pacto, quod omnium maximũ eſt, atque præcipuũ in terra, non conſpicaris tantùm, ſed tangis, neque ſolũ tangis, ſed comedis, & eo accepto domum redis. Abſterge igitur ab omni ſorde animam tuam, &c. hæc ille. Dic mihi, ecquando audiſti uocem magis patẽtem? In ſumma, nõ ſatis illi fuit ſemel dixiſſe, ſed ter repetiit in terra: In terra, inquit, regium corpus uidẽdum: in terra adorandum: (etenim ipſe adeſt omniũ Dominus, ſummo, ut ait, honore dignus.) deniq; in terra comedendum tibi proponitur. Qua fronte igitur poſthac iubeat determinatio, ne credamus iis qui dicunt eum eſſe in terra: cum hunc diuinum hominem (quem aliàs inuitum pro ſe arripuit) uideas, hoc ipſum ingeminare, quò firmiter etiam corporis præſentiam in Euchariſtia confiteri non uereamur. Idem in epiſtola ad Epheſios ſic ſcribit: Quando ſermonem de Domini corpore exorſi ſumus, agè de illo etiam dignum meminiſſe eſt, quod cruci confixum, quod confoſſum clauis, quod immolatũ eſt patri. Et paucis interpoſitis, ſubdit: De corpore nobis ſermo eſt, & eo, quod ab illo nihil diſſidet. quot iſtius corporis efficimur participes, quot eius guſtamus ſanguinẽ? Recolite quia illius corpus eſt, & ſanguis qui ſupra cęlos reſidet, qui ab angelis ſuppliciter adoratur: illius, inquã, qui proximè aſſiſtit immortali Dei potẽtiæ, huius delibamus ſanguinẽ: nos ſuũ ipſius corpus effecit, propriũ corpus nobis ſumendũ tradidit. Quin etiã in ſua liturgia ita orat, Qui ſuprà unà cũ patre ſedes, & hîc unà nobiſcũ inuiſibiliter uerſaris, dignare potenti

Homil. 3.

potēti manu tua, nobis impartiri impollutū corpus tuū, & preciosum sanguinem, & per nos toti populo. Porrò ad populū declamans idem Chrysostomus, & locum de pallio Eliæ donato Helizeo enarrans, ait: Tanquam maximam hæreditatem Helizeus melotē suscepit, etenim uerè maxima fuit hæreditas, omni auro preciosior. Et erat duplex Elias ille, & erat sursū Helias, & deorsum Elias. Noui quòd iustum illum beatum putatis, & uelletis quisque esse, ut ille: quid igitur si uobis demonstrauero quid aliud, quod illo multo maius omnes sacris mysteriis imbuti recipimus. Elias nempe, meloten discipulo reliquit, Filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem dimisit: sed Elias quidem exutus, Christus autem, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. hæc ille. Et quid hoc uno testimonio planius? quid distinctius? quid apertius? In hoc, inquit, mysterio preciosior quædam res est, quam recipimus, & maioris dignitatis, quàm est Elias. quænam autem ea sit, statim ipse exponit, nempe, caro non Eliæ seu cuiusuis hominis, sed ipsius Christi: de carne, inquam, Christi loquitur, non de spiritu: neque ait, Sacramentum carnis nobis dedit: sed quid? suam, inquit, carnem, hoc est, propriā nobis (in nostrum uidelicet solatium ac commodū) sumendam reliquit. Quid est, reliquit suam carnem? nisi in Eucharistia præsens est ipsissima caro quæ ascendit. Nam ubi, quæso te, hanc suam carnem reliquit? nisi quando iam in substantia, & forma humana abiens, dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum: id quod sanctus iste Episcopus gregem

Chrysost. ad pop. Antioc. homil. 2.

Christi,quem acquisiuit sanguine suo, crebrò & palam docet. Sic itaque uerè abiit, sic uerè reliquit. Ad quem modum loquitur & beatissimus martyr Cyprianus. Sãguis inquit,effusus pro inimicis,fecit amicos, & filios Dei. Atque ut consideremus hanc fore perpetuam amicitiam, reliquit nobis edendam carnem suam, reliquit bibendum sanguinem suum,ut per eadem aleremur, per quæ sumus redempti. hæc Cyprianus. Quid igitur dicemus ad hæc? Num istis sanctissimis patribus, clarissimum, maximéque necessarium fidei articulum excidisse quisquam credat, quum in ipsa Eucharistiæ tractatione, tam sæpè de eo loquantur? Aut scripturæ maiestatem, uocémque illam angelicam,qua ad apostolos dictũ est, Quemadmodum uidistis eum ascendentem in cælum, sic ueniet (quam sententiã huic catholicæ ueritati haud quicquam derogare, iamdudum demonstrauimus) non reueritos arbitramur? Aut demum eos ignorantię insimulabimus,eius,quod ad discipulos Seruator dixit, Vado ad patrem? Nequaquam ignorabant sancti,hoc uerbo, localem designari remotionem, sed certò credebant,quòd creaturam creator,ut uult,trãsformare potuit,& ut potuit, ita iuxta uerbum suum, uoluit. Neque ullam habet consequentiæ rationem, Christus uadit ad patrem,ergo non est hîc: sed illud benè sequitur, Vado ad patrem,ergo iam nõ uidebitis me,modo uidelicet,quo hactenus uobiscum fuerim. Nam id textus habet, Vado, & iam nõ uidebitis me: ut credamus, inquam, quòd illius corpus non sit

Cyprianus de duplici martyrio.

tale

tale (ut Theophylactus inquit) quale solet ab omnibus uideri, quamuis illud ipsum sit, quod & nobis reliquit. Quomodo autē reliquit, si me interrogas, ingenuè fateor (id quod Chrysostomus de mysteriis fidei disputans, respondit) nescio. Ipse dixit, fide credo: ipse mandauit, securus pareo: ipse reliquit, cogitatione non comprehendo: hoc est, inquit, corpus meum: certum est quia impossibile. ut rationi tanquam ancillæ, fides præsit. In talibus enim (ait Augustinus) tota ratio facti est potentia facientis: nam si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, nō erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. Reliquit ergo: sed quo modo? Dei est scire, nostrum uerò credere. Transitus enim ille, quo panis in corpus, & uinum in sanguinē conuertitur, ingenio humano planè est incomprehensibilis, sicut cætera fidei mysteria. Eant nunc, & iactent certam suæ fidei persuasionem, quoad libet, imò audiant Dominum potius, & beatos uiros, quos iam attigimus, imitentur: qui tametsi certò credebant, quod corpus suum leuauerit, catholicam nihilominus fidem de Eucharistia nobiscum profiteri uerbis quā apertissimis nihil uerētur: ut immeritò, & sine ulla causa hic determinator his se motum dicat, & persuasum huic peregrinæ sententiæ astipulari: qui tamen nihil nouum, nihil solidum, nihil iam (quod omnes uident) non penitus conuictum, atque euulsum attulit: ut pudeat sectarios posthac suæ pertinaciæ, aut ueritati amplius reluctari. Hîc si singula attē-

Vide Chrysō. in psal. 50. Item Augu. ad Orosium, cap. 11.

Tertull. cōtra Mart. de carne Christi.

Augustinus.

tiùs connotarem, & prolixa aliorum testimonia inducerem, oppidò in immensum excresceret oratio. Sed plura addere, precium operæ non existimo. Nam qui hæc audiunt, aut sunt fideles humilitate præditi, & iis auditis acquiescent: aut sunt infideles, ac contentiosi, & testimoniorum myriades, uel malè interpretabuntur, uel spernent. Itaque horum duorum testimonio, cũ iis, quæ fusius antea disseruimus, contenti, hîc sistemus, nisi sit, quod adhuc desideras. NEOPH. Equidem non uideo quid debeam exoptare amplius: tamen si permittis, quid hîc obloquuntur, dicam. ORTHO. Quid ni? tua enim causa potissimũ, hoc negotij suscepimus: audacter igitur, quicquid est, profer. NEOPH. Veteres nonnunquam, & præcipuè Chrysostomũ, immodicos esse aiunt, uel in extollendis, uel deprimendis quibusque rebus, ex quibus, & hoc est, quod ait, Locum ubi peragitur mysteriũ, esse illud cœnaculũ, in quo Christus cum discipulis pascha fecit: hîc adesse ipsam mẽsam, in qua accubuit: hîc cælum aperiri: hîc angelos descendere, & per id tempus sacerdoti astare: uniuersum potestatũ ordinem clamores excitare: non ab homine corpus, sed à Seraphim ignem forcipe ministrari: denique pauperes esse montem oliuarum, & eius generis nescio quot. quæ si quis contenderit natiua significatione dici, nihil stultius, aut absurdius potuit unquam excogitari: Ita inquiunt, eadem hyperbole, quum de corpore loquatur, usus est, neq; enim tãtus Episcopus hæc ignorare potuit. Quamobrẽ ea omnia, quoties

Oecolãpad. Bucerus &c.

1 2 3 4 5 6 7

ad

ad hoc myſterium accedimus, docet cogitanda, & fingēda, quo animos noſtros excitemus. Quid? quod ita ſint? minimè omnium aiunt. ORTHO. Deum immortalem, quas anſas, atque uncos adinueniunt, ne ſimplicia pateant, & clara luceāt? Næ illi periti ſunt artifices, ſed ad deprauandum. Quid enim tam benè, tam apertè dictum, quod non oratoris opera (quod quidam dixit) uel peruerſi hominis malicia retorqueri poteſt? illud ſummoperè in ueteribus notandum, quando interpretantes ſcripturas, docent, & rurſus quando populum exhortantur. Nihil non agit Chryſoſtomus, ut plebem ſibi concreditam, ad ſummum pietatis faſtigium euehat, eóque poſt doctrinam ſpiritus ſancti ſemel traditam, qui illi mos eſt, uariis modis exſpatiatur, nunc minis terret, nunc exhortationibus allicit, quandoque urget miraculis: & quo magis moueat, nōnunquam ita proponit, quod à Chriſto factum eſt, cùm adhuc uiueret, ac ſi ipſe iam, iam, in humana forma adeſſet, nunc iam conſecraret, baptizaret. Quod autem de cœnaculo calumniantur, ut iſtas eorum ſubtilitates, ſi ſuperis placet, ordine tranſcurrā, uult nos ſic affectos eſſe, ac ſi cum Domino ibi præſentes apoſtolos intueremur: & iuſtam huius rei cauſam addit, nempe, eadem menſa eſt, non quòd ex iiſdem tabulis, aut eadem materia fiat, quod uel idiota nouit, ſed propter eundem cibum appoſitum, propter eundem Chriſtum conſecrantē. Non enim ſunt (ut ait, & nos ſæpè retulimus) humanæ uirtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quò-

que operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinẽ tenemus, qui uerò ſanctificat & tranſmutat ipſe eſt. Et proinde hortatur Chryſoſtomus, ut eò animos noſtros referamus, quò uiuidè iſta in nobis gerantur, imitatus D. Paulum, qui cõuerſationem noſtram in cælis uult eſſe. Iam quod de cælo aperto ait, & angelis aſtantibus, impiis ueriſimile non uidetur, ſed pio Chryſoſtomo, in illius honorem qui immolatur, nõ opinabile, ſed credibile, imò in ueritate ita eſſe uiſum eſt. Cæterũ eo uerbo, Græcorũ in Eccleſia ritũ expreſſit. Sacerdos enim intus, ſacrario quodã, clã populo, & faciebat, & dicebat cõplurima in illatione, ipſaque panis oblatione, dum adhuc panis manet, nihílque adhuc accipit, niſi quòd eſt Deo dedicatus, & donum effectus, ut Cabaſila inquit. Quibus peractis egreditur, dona ſacrificanda decenter ferens ad altare, ubi incipit ſacrificium: quem morem etiam hodie ſeruant, ſicut mihi à fide digno, qui uidit, ſignificatum eſt. Siue poſt ſanctificationem hoc fiat, nempe retractis cortinis, & uel diacono, uel ſacerdote ad populũ egrediente, & eum ad ſanctam communionem (qui illis mos eſt) inuitante, parum retulerit. Sic itaque de iſta ceremonia ouem dominicam inſtruens, ait: Cùm uela uideris retrahi (quem morem in Eccleſia etiam Occidentali quadamtenus obſeruatum alicubi reperias) tunc ſupernè cælum aperire cogita, & angelos deſcendere. Sed illud ridiculum, quod uniuerſus cæleſtium poteſtatum chorus loco altari uicino, clamores excitare perhibetur. Nam & auribus arrectis,

qui

qui audiat, & quouis lynceo perſpicacior ſit, neceſſe eſt, qui uideat. O linguam blaſphemam: fidelibus iſta dicit, non incredulis. Quorſum apud iſtos commemores, quæ piis hîc exhibet Deus, quæ hunc ſanctum uirum præclaro ſuo operi & inſerere, & credere nequaquã puduit. Quid clamas ad me, ait Dominus ad Moyſen, quũ iam nullã uocẽ ediderat? Quid de Anna loquar? ea cum multiplicaret preces coram Domino, uox penitus nõ eſt audita, quæ tamẽ ualidè apud Deum clamaſſe rectè dicitur. Sancta fœmina ab Heli ebria iudicata eſt, & uino madêre, quòd tãtum labia moueri cerneret, uocem nullam audiret: quanto rectius ebriis iſtis, ſed non à uino, hoc obiicimus? Ergo, ad ſpiritalem quendam clamorem, & cultũ iſta refert, ſicut idem alicubi manifeſtius explicuit: ubi inter ſacra, non Angelos ſolũ, ſed etiam homines clamãtes admiſit, quum hi, altiſſimo uocis ſilentio, illo tẽporis articulo, quem diximus, antiquitus eſſe ſolebant: qui nihilominus ualido cordis clamore uſi, gratias agentes, Deóque tacitè ſupplicãtes, ſemper fuerunt. Porrò autem, quòd pulchrè, eleganter, & piè de Seraphin monuit, hoc nimis contortè, & miſerè dilacerant. Nam qui libros eius de ſacerdotio perlegerit, miniſtros Eccleſiæ non immeritò Seraphin comparatos uidebit. Huiuſcemodi, ait, poteſtas, illis committitur, quam Deus Opti. Maxi. neque Angelis, neque Archangelis datã eſſe uoluit. Quid autem, ſi miniſter huius ſacramenti, aſſimile-

Chryſoſt. in ſermo. de incomprehenſibili Dei natura.

tur Seraphico angelo? quem si explicueris, ignitum significat. Si, inquam, illud ipsum, quod ministrat, spiritalis quidam ignis sit, uel propter nominis interpretationem (coniunctis, forcipis instar, illius digitis, quod ad Angelicæ uisionis similitudinem retulit) ignem ministrare dicatur, idcircó ne ignis reuera terrenus erit? Aut proinde non erit corpus Domini, è quo ignem surgere, contra indignè tractãtes, memoriæ proditum est. Quin ipse hanc mensam, plenam igni spirituali, & flammam quandam habere arcanam (hoc est occultã, & mysticam) dixit, quę animam ad communionem indignè accedentem pertingat. An non & Deus ipse ignis est, qui exurit peccatum, consumit inimicos, & suorum corda inflammat? & sacerdos angelus Domini in scriptura appellatur. Sed illud non potest elui, quod ait, non ab homine corpus ministrari. Qui explicãs ueri ministri dignitatem, supra homines cõstituit, & in angelorum loco ponit, eí ne aufert continuò hominis naturam? Spiritus sanctus apertè dicit, ipse est qui baptizat, & tamen non illusit suos Dominus, qui iubet baptizare: uerè enim Petrus, uerè Paulus, & ministri etiam hodie non minus uerè baptizãt, neque minus uerè consecrant. Sed ipse alio in loco hanc litem dirêmit. Cum, inquit, sacerdotem uideris offerentem, ne ut sacerdotem esse putes, hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam. Quasi diceret, quãquam homo sacerdos, hoc sacrosanctum munus

Cypianus ser. 5. de lapsis, &c.

In sermo. de Philogonio.

Ignis exurẽs, consumens, inflammans.

Ironia.

Chrysost. homil. 60. ad pop.

munus peragat, tamen ſua poteſtate nihil facit, ſed Chriſti legatione fungitur, eius uerbo innixus, eius auctoritate ſuffultus, eius denique uirtute facit, quicquid facit. Ne itaque putes illũ, conditione, qua homo eſt, hæc facere. Cum autem Euchariſtiam porrigit, manum quidem ſacerdotis uides, ſed ſic te compone, ac ſi præſens fuiſſes conuiua inter Apoſtolos, & uiſibilem illum, ac beatã Chriſti manum porrectam uidiſſes, quam in ipſius ſacramenti miniſtratione inuiſibiliter extenſam cogita: inuiſibiliter dico, ſiquidem idem is eſt, qui etiam nunc uiſibili ſacerdotis miniſterio, linguę, & manus, eadem operatur, quæ in illa propria cœna fecit. Ita omnibus modis ſatagit, ut Chriſtum ipſum quàm maximè pręſentẽ credamus, eúmque imitemur, progredientes cum illo, hoc eſt, iuxta illius exemplum, ad pauperum manus, quos monti oliuarum pulchrè aſſimilat. Sed de iis ſatis, ſuperque. Si qui adhuc reluctantur, quid præterea dicã, niſi durum eſt illis contra ſtimulũ calcitrare? Equidem, quoties fratres meos errantes cogito, Neophyte, non poſſum non deplorare eorum conditionem & ſtatum. Atque hoc grauius diſcrucior, quòd firmantes inter ſeſe ſermonem nequam, ſibíque blandientes, in mortem properant, ſe, ſuósque crudeliter magis, magísque uulnerant, pœnitentiæ ſalutaris remedium ne cogitant quidem, miſericordiam Dei nõ requirunt, Eccleſiam (ubi omnis animarũ ſalus quærenda eſt) contemnunt. Nam cui tam ſaxeũ eſt pe-

ctus,aut fera mens,ut uel ipso dilaceratæ matris aspectu non moueatur? Quis tam insensilis, ut conuulsa membra sua nõ sentiat? Quæ est ista ratio, imò quã cæca rationis contentio ? prohpudor! huic non credere, præsertim in iis, quæ ex ore Christi nobis eloquitur,quanta ingratitudo,quanta impietas,& sacrilegium?Neque ulla excusatio,ulli hominum esse poterit, si crediderit cõtra uocem summi Dei, tam claram,tam apertam,tam manifestam, ut nemo uel obtusus & tardus corde posset dicere, non intellexi. Quis enim non intelligat,Accipite,manducate: hoc est enim corpus meũ ? Quis non intelligat,Accipite, bibite : hic est enim sanguis meus ? ô charissima, & summi amoris maximè amplectenda pignora! Quid autem,cum uerba nouissima hominis morientis audiuntur, ituri iamiam ad inferos (ac proinde nullis utitur tropis, aut ambagibus, sed propriè loquitur,succinctè, & ex animo) nemo eum dicit esse mentitum: & impius iudicatur hæres, qui benigni patris legata contempserit. Quomodo ergo effugiẽt iram Dei, qui uel non credentes, uel contemnentes, repulerint uerba nouissima unici filij Dei,& Domini,ac saluatoris nostri Iesu Christi?uerum enimuerò, hanc querelam, piis fidelium gemitibus, quàm meis sermonibus committere malui. Et hæc alienior si est ab instituto, ipsius rei indignitati (quæ eam propè inuitis extorsit) tribue.ac proinde quod decet magis, obnixius precemur, Deíque misericordiam humili-

ter.

ter imploremus, ut error, qui per se iam ruit, etiam in cordibus eorum ruat. Quod autem ad posteriorem sententiam, quæ de sacrificio est, spectat, quam determinatio in fine uix attigit, quum ea ex priori, ut ipsa ait, tota dependeat, cúmque pauca quædã haud magni momenti (quæ tamen superius uideri possint minimè, citra animaduersionem, penitus effugisse) huc adducat, & mea negotia me aliò uocẽt, alterum diem huic dicere, operæprecium fore non existimo. Itaque si uel apud ueteres legere, uel alios audire cõtigerit, quod animum tuum postea huc illúc ue fluctuare faciat, neque ab illa ambiguitate & scrupulo, in quem fortè traductus es, temet poteris extricare, in Ecclesiæ asylum, ubi securius conquiescas, quamprimùm te recipe: cõtra quam quisquis arietauerit, ipse se confringit, ut Augustinus alicubi loquitur. Meam autem operam, si qua esse posset, libens polliceor: interim tu semper in memoria habe, quod Ethnicus quidam dixit, & sæpius monere soleo: omne tempus perire puta, quod studiis non impartias: nos Christiani adiicimus, nec precibus. Quod si feceris, labi poteris, fateor, quia humanum est, & nonnunquam errare: sed in errore persistere, si illi te totũ humiliter dedas, non poteris. Deus enim, quæ illius est misericordia, erga diligentes se, nõ dabit in ęternum fluctuationem suis, neque eos in perpetuum periclitari, aut cõtinuò decipi patietur. NEOPH. Huc, pro uiribus, duce Christo, enitar. Nunquid me uis? ORT.

Nihil enim, ut non verum percipiam, & vale in Domino. VERONI: Quem ego pro qua salute sedulò precabor, quod, ut mihi quæ est, officiant aliis semper meamo signori, ac hoc tempora magna. Aequabilis ubi ita, præsent nocte, ut illi facta tabi, congruentes, & expellendæ, ipsum tacio.

Tertij libri finis.

Deo gratias. Deo gratias.